IANVS
QVADRIFRONS
POËTICVS
OCTAVII
TRONSARELLI

In

Amatoria	Varia, &
Heroica	Sacra

Distinctus.



ROMAE, Typis Vitalis Mascardi. MDCXXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.


AD LECTOREM



Poëticæ fidei

Fides Catholica præsit.


ANAGRAMMATISMVS ANTONII FRANCISCI TACCHINI.



OCTAVIVS TRONSARELLVS.



SOL CLARA VIRTVTE NOVVS.



SOL tibi, Roma, NOVVS CLARA VIRTVTE refulget;

Alter obire solet; hic periisse nequit.



Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.

Io. Bapt. Alt. Ep. Cam. Vicesg.

IVssu Reuerendiss. Patris Fratris Nicolai Riccardij Sacri Palatij Apostol. Magistri vidi Ego Iulius Antonius Rodulphus librum, qui inscribitur *Ianus Quadrifrons Poëticus Octauij Tronsarelli.* Affirmo, me nihil in hoc Opere animaduertisse quod Fidei Catholicæ, aut bonis moribus contrarium sit. Cæterùm stylus ipse Romano, præclaroque ingenio dignus visus est. Purus videlicet, vrbanus, amœnitate refertus; quique eruditas aures tenere queat.


Iulius Antonius Rodulphus manu propria.


Imprimatur,
Fr. Hyacinthus Lupus Mag. & Socius Reuerendiss. P. Fr. Nicolai Riccardij Sac. & Apost. Pal. Mag.

AD



A D
ARISTARCVM.





TALICVM carmen patrio modulatum plectro à me forsitan Aristarche expectas; ego vt rariori, ita selectiori studio, è Camœnarum æde Latinum opus edo. Inter floridas Etruscæ Poëseos amœnitates decet, prisca Romanæ lyræ maiestate se aliquando seueriorem exhibere, & grauioribus carminibus Iano litare, qui senescentis prudentię Deus à Veteribus habebatur. Ianus non vno vultu omnia respicit; iure igitur hìc diffusa

coërcui, àc contracta explanaui; & cum quiſque Scriptorum monumenta aut damnet ex genio, aut ex arte commendet, alia alijs variare contendi. Verum, cum litteris ſim parum eruditus, & tenebricoſis inſcitiæ nebulis obuoluar, fortè non par erat, Quadrifrontem Ianum in lucem emittere. Sed & ipſe rudis moles iam fuit; nec tenebris illi officere poſſum, qui perenni circuitu Anni Menſes ab interitu in lucem reuocat. Tu interim, qui Attica in dictis mordendi acerbitate celebraris, acri iudicio ſingula ne expendas; Attica Apis, dum mordet, hiantis in vulnere animi vires, & vitam relinquit. Ariſtarche, tua bella Iano inaniter patent, nam ipſe dum alijs patet, omnibus eſt bellum. Immo cum olim Ianus apud Latinos perpetuam in eorum ſacrificijs meruerit præfationem, dignè nunc ergo huic Latini carminis Camœnę Ianus præfatio eſt. Tuam compeſce liuentis animi libertatem, nec in vocalem meæ Muſæ ariſtulam verborum ariſtis inſur-

ge:

ge: neqne veluti afflatus diro Saturni sidere in mea carmina grauius inhorresce; hoc sub Cælo Ianus vna cum Saturno regnum,& amicitiam inijt. Quadrifrons Deus tot oculis enitescens iam Phœbo æmulus est; & dum Anno præest, Soli præficitur. C. Valerius Bassus Ianum apud Antiquos Quadrifrontem fingi aiebat, quasi vniuersa climata maiestate complectentem: Vnde & apud Nigidium Ianum eundem esse, atque Apollinem cuncta perlustrantem agnouimus. Primus igitur meorum Latinorum carminum labor hoc sub Apolline,qui matutinus ingenia ad præclara rerum opera excitat, prodire iuuet; illique cum Venusino Horatio dixisse liceat.

Matutine Pater, seu Iane libentius audis,
Vnde homines operũ primos,vitæq; labores
Instituunt (sic Dijs placitum) mihi carminis esto
Principium.

Ianus, qui incipientibus rebus præest, ab Apolline ordientibus non deerit.

A Iani igitur lumine, & limine Ariſtarche longius recede: &, ſi fortè Vrbano ſub Sæculo vlla temporum felicitas te delectat, Patulcium odio habe, & Cluſium amanter cole.



Ad Librum
de Iano Quadrifronte.

1

SAt Iani titulum tibi sit meruisse, Libelle,
Maiestate tua conspiciendus eris.
Quatuor in partes dum rerum carmina fudis,
Iurè tibi quarto præsidet ore Deus.

De
suo Libro.

2

Felix est omen: linguis, animisque fauete;
Longè liuor edax, iurgia amara procul.
Qui terris fausti primordia nunciat Anni,
Faustus in hoc primùm carmine Ianus adest.

Iano.

3

Prima tibi meritò Latialia carmina, Iane,
Parta labore rudi nostra Camœna sacrat.
Nam per te primos operum, vitaque labores
In rudibus terris instituere Patres.

Ad eundem.

4

Romano si Templa foro tibi, Iane, patebant,
Romano pateas nunc quoque, Iane, foro.

Ianus, & Chaos
idem erat.

5

Ne mirere, rudis cur sim sine imagine cortex,
Nec nostra æterno sit nota digna Deo.
Ante suam vastus quam formam Mundus haberet,
Me rude Fama vetus credidit esse Chaos.

Horæ, & Ianus Cæli custodes.

6

Tu, qui clauigeri venераris Numina Iani,
Ne volucrum Horarum damna inimica time.
Hora dum Iani socia tutantur Olympum,
Consors imperium Ianus, & Hora tenent.

In Operis detractorem.

7

Scommata qui salibus, morsu dicteria misces,
Liuorisque atro fulmen ab ore iacis.
Quadruplicem, insidians, ne credas lædere Ianum,
Incustoditum non habet ille latus.
Cumque oculos omni prudens ex parte volutet,
Qui tot fronte mouet lumina, intus erit.

Ad maledicum.

8

Hoc Iani carmen postica offendere sanna
Ne tentes; Ianus post sua terga videt.

De Iano ad Lectorem.

9

Si Ianus celsi penetralia seruat Olympi,
Claueque stellanti datque, negatque polum.
Custodem venerare Deum. Dum transuolat athrã,
Officio Iani Iuppiter ipse subest.

Aliud.

10

Ianus, vt armatum diuerteret Vrbe Sabinum,
E terra est sacras eiaculatus aquas.
Et nunc, hostiles vt frangat Temporis iras,
Fatidicos fluctus ex Helicone parit.

Prima Frons

IANI

Amatoria.

PHYLLIDIS
pulchritudo.

1



RCANO radians exardeat igne Pyropus,
Et fulua Eoas iactet Iaspis opes.
Candida Sardoniche, pelagi pretiosa supellex,
Alternet varias mixta rubore notas.
Solem Chrysolitus natiuo prouocet auro;
Sit par Luna Adamas: omnia Phyllis habet.

Ad Lillam,
vt hyemem timeat.

2

Dum iuga Sarmaticis Aquilo grauat alta pruinis,
Et Calum algenti frigerat ore Caper.
Lilla caue. Teneras quoque nunc raptare puellas
Virginis Actaa Fur violentus amat.
Corpora ne ladens, aruis glacialibus erres;
Nec gressu dumos liberiore premas.
Germina se gelido non dant improuida Campo;
Et latet in tunicis florea gemma suis.

Amoris violentia.

3

Qua forma, annosum Priamum, Pyrrhaq; maritum,
Et rigidum posset sollicitare Numam.
Blanditijs agitare suis mea pectora tentat,
Et per me totam Cyprida in ossa ciet.
Mente eiecta fuit; sed nunc redeunte fauilla
Vror, & excruciant subdita corda faces.
Addidit hora malum, tempusque in damna resurgit;
Quò mage lentus obest, hòc mage sauit Amor.

Ad N.
de varijs eius moribus.

4

Ploras vt Niobe, rides vt florida Chloris;
Pallada voce sapis, Penelopenque refers.
Qualis Luna erras, qualis Rhamnusia fauis;
Iunonem simulas, & Venus ore nites.
Sic riget Aglauros, plaudit sic carmine Siren:
Iam nulla in Pindo fabula vana sonat.

Se cum Amaryllide excusat,
quod eius domum non adierit.

5

Parce Amarylli precor, si non, vt iussa monebant,
Limen adij; rupto fulgurat axe Polus.
Ingeminant nymbi, coniuratisque maniplis
Aduersa Aeolides prælia fronte gerunt.
Hinc vasto reboant duplicata tonitrua Cælo,
Hinc nubes trifido fulgure hiulca sonat.
Sæpe iter aggressus, vestigia sæpe retraxi:
At, si pes renuit, mens celerauit iter.
Aemula (iam nosco) mouet in me fulmina Cælum,
Ne Cælum in Terris sis, Amarylli, mihi.

Amatæ carmina
pollicetur.

6

Ipse Catullus ero, si tu mihi Lesbia fias.
Me Gallo, æternum clara Lycoris eris.
Cynthia dum fueris, spernam tua dicta Properti:
Sique Corinna aderis, carmina Naso dabit.
Te Nemesi, felix cantu superabo Tibullum:
Ingenium Vati Fœmina pulchra facit.

In malum Veneris pictorem.

7

Cyprida pingis inert; certans calet Ida tumultu,
Et renuit Veneri poma dediſſe Paris.

Ad Amaſiam de dono malorum Punicorum.

8

Punica mala, mea quæ mitto nuntia ſortis.
Sunt mala à noſtris non niſi dicta malis.
Ardenti hæc intus flammantia prole rubeſcunt.
Intus & ardenti cor mihi ab igne rubet.
Eſt cortex illis variatus membra colore,
Et nunc ſpes variat, nunc metus ora mihi.
Pœni olim terris hæc Punica mala dedere,
Tu triſti in pœnas es mihi ſorte data.
Folliculis diuiſa ſuis ibi germina cernis,
Et per te fibris diuidor ipſe meis.
Imperat hoc malum regali vertice pomis,
Et mihi ſupra omnes imperat ipſa Venus.
Fœcundo innumeri ſurgunt è corpore fœtus,
Et flammas nequeas tu numerare meas.
Dulcia quæ mitto, cortex cuſtodit amarus;
Et quod dulce peto, ſeruat amarus Amor.

Ad Attalum de Agnete meretrice.

9

Attale, dum fœdum colit Agnes pulchra Lupanar,
Cuncta vides fieri: Iungitur Agna Lupa.

Ad N. verè pulchram.

10

Non minium Heſperium, non nix Mæotica vultu
Eſt tibi, nec Paphia ſpirat ab arte decus.
Fruſtra in te blandæ ſuperare inſignia formæ
Poſſet Achaiadum, Phaſtiadumque nitor.

Non

Non tam cara foret per te Peneia Phœbo;
Esset Nyctileo pulchra Ariadna minus.
Pro serua in Danaos non exarderet Achilles,
Pastori algeret Latmia Luna suo.

De Lilla.

11

Lilla est crine aurum, genulis rosa, lumine Titan:
Hac Helena posset Virbius esse Paris.

Fæmina
rigidè pulchra.

12

Allicis aspectu, sed mente in amore rigescis;
Speque mihi dubia cor violenter agis.
Vel pulchra formam, vel saua desere mores:
Thais, & Harpalice non simul esse potes.

Ad Fabrum
semper olentem.

13

Semper oles cythisum, violas, colocasia, nardum,
Pastanasque rosas, monticolamque thymum.
Lilia, Narcisum, calthas, serpylla, ligustrum:
Horti est, non hominis semper olere, Faber.

De amatoribus.

14

Qui sequitur Venerem, patitur lacrymasuè, facesuè:
Icarus, aut Phaëton est periturus amans.

Virgini
carcere detentæ.

15

Clausa ima turri, dum tantum sidera cernis;
Digna es, amatorem sola merere Iouem.

Aureo-

Aureolæ
ſæuitiam deplorat.
16

Nunc tonat, & Cauri fremitu nemus omne remugit;
Nunc placido ponunt murmur, & vnda ſinu.
Alta ſoporiferis modo Nox circumuolat alis,
Mox redit Eoo cardine verſa dies.
Solus ego æternum noctes malè paſſus, & imbres
Aureolæ crucior peruigil ante fores.
Proh fatum: mitis Sors ſæpe recurrit in orbem;
At noſtro ſemper pectore ſæuit Amor.

De Fabulla.
17

Iam Cypris i Cytheram:
Amore non egemus.
Dum pulchra lucis aſtra
Amans rotat Fabulla,
Sat eſt Fabulla Cypris.

Amoris inconſtantia.
18

Ne quærere inſtabilem fugitiuo in Amore quietem:
Alternàque leuem ludere ſorte Deum.
Cum ſit Amor molli trepidans ætate puellus,
Nutat; & eſt cunis irrequietus Amor.

De Algidæ ocellis.
19

Intuitu caſto ſi voluas Algida ocellos,
Heu caſta allectus luce mouetur amans.
At ſi flammantes defigas Algida ocellos,
Heu rigidis flammis exagitatur amans.
Quin & ſi placidos declines Algida ocellos,
Heu placidis ſtudijs perditur omnis amans.

Ad
Lycoridem.
20

Quæ te mundior, elegantiorque
Est, ô pars animæ mea, Lycoris?
Indo cæsaries superbit auro,
Gemmarum radijs nitent ocelli;
Rubescit genulis odora Chloris
Flammescens labijs pyropus ardet;
Candescunt eboris nitore dentes,
Et collum tenera albicat pruina.
Aeterno tibi Vere ludit Annus,
Nexu se Charites ligant amico,
Sertis purpureis Iuuenta floret,
Risus te roseo colorat ore:
Per te subsiliens, tibi ministrans
Neglecta Venus enitet Cythera,
Et flammis acuit Puer sagittas.
Qui te non amat, est Amoris expers.

De
Amatore.
21

Cum cæcas flammas inter, sæuasque fauillas
In cineres semper cor Cytheræa cremet.
Lubrica res Amor est; stat mox ruiturus Amator,
Ac si concretis frigore staret aquis.

Ad
Amicam.
22

In se se miris quamquam varianda figuris,
Omnia tu fieri posse in Amore puta.
Et qualis mirè ramum sibi ramus adoptat,
Sic tibi non idem, nec tamen alter ero.

Ad

Ad N. cuius amore Olympia deperibat.

23

Ista tuis oculis stat Olympia; culmen Olympi
Qui feriat, maior fulminat ille Ioue.

Ad Amantes.

24

Palleat omnis Amans; ponto generata tumultus
Vndosos animis Cypria Diua mouet.
Et stabili nunquam penna, vacuaue pharetra,
Est vigili nobis igne timendus Amor.

Ad Amantem infelicem.

25

In tua vota miser, quid Cœli sidera quæris,
Dum te transuerso turbine mergit Amor?
Cypridis in pelago nil prosit Castoris astrum:
Stellantes oculi sunt in amore duces.

Orpheus ad Plutonem de sua Euridice extincta.

26

Dum cana rore prata
Eburneo pererras
Gressu, pudica Coniux:
Florumq; germen vda
Tibi colorat herba,
Virensq; tymbra spirat;
Et caltha lucet auro;
Rosaq; purpurascunt;
Mitiq; blandus aura
(Cupidinum minister)
Fauonius susurrat.
Exsibilantis Anguis
Furente læsa morsu
Per Noctis antra cæca

Proserpina inuidenda
Subis Doloris aulam.
Ah Pluto, amica tangit
Te Cypridis fauilla:
Et ipso Amoris astu,
Quam Dite, plus calescis.
Ne pectus are. cinge,
Ne vana redde vota.
Te mi iuuet videre
Pium, ferumq; Regem.
Vmbra minus quid extat?
Peto dolenter vmbram.
Quid est amore peius?
Quaro gemens amorem.
Si Mors, stupente Fato,
De Nympha agit triumphum,
Ad dira regna fletus
Fero tributa planctus.
Si te nocens perurit
Vis astuantis ignis,
Meos petens amores,
Demo faces ab Orco.
At surda saxa Ditis
Lyra sonantis ictu
Mollire tento, & vndas
Obliuiosi Auerni
Fletu morari acerbo;
Et ore sembiante
Non viuus oro Mortem.
Regnum gementis Ira
Amoris odit ignes.
Vix hac manu loquaci
Vates canorus edit.
Planctu gemunt Erynnes,
Styx aret astu amoris,
Vndat dolore Lethe,

Oditq; Cloto ferrum;
Torpescit axis error;
Ales iecur remittit:
Sono Canis represso
Orphei stupet querelis;
Et poma cedit arbor
Dolore Amantis icta.
Nil maius est Amore;
De Dite Amor triumphat.

De
mulieris crine.
27

Crine Medusa nocet; vano nec Apolline ficta
Hac documenta puta. Femina crine nocet.

De
Lillæ rubescentia.
28

Alba tuis cum Lilla genis rubuere pudores,
Vno se discors miscuit ore color.
Natura aduersos sic ementita colores
Purpurat hybernis cana pruina rosis.

De Casu,
& Amore.
29

Nec felix Casu, nec amans confidito Amore:
Numen vtrumq; errat, lumine vtrumq; caret.

Meretriculæ
prope Tyberim habitanti.
30

Lycas, fabula fornicis Latini,
Dum ripas colis Albula sonantis,
Famosa es Venus helciariorum.

Ama-

Amatori.

31

Heu Venerem fugias; non lux tibi tuta diei est;
Ad Veneris radios interit ipse Dies.

Veneri.

32

I Venus: igniculis non mens mihi Cypridis ardet.
Fæminea renuo iura subire Deæ.
Nate, tibi inuigilent trepidantes igne lucernæ,
Et fundat Paphias ebria turba rosas.
Leno tibi libet, tibi texant serta puellæ,
Gemmantiq; sinu multa Columba cadat.
Mollia Acidalio sudent opobalsama flatu;
Sordet adorata Cypride festa dies.

De Lilla.

33

Lilla rubens vili, fœdoq; è germine prodit:
Coralium è vili stirpe Medusa dedit.

Amasiæ è domo exeunti.

34

Cum te specto, mihi vita interdicitur aura;
Sic cum Sol exit, incipit aura mori.

De Virginum custodia.

35

Nil sint Virginibus turres, hominesq; canesq;
Decipit Acrisios insidiosa Venus.

Ad Attalum de Magdalena benè cyrrhata.

36

Attale, cui semper tangebant gaudia pectus,
Tu nunc Idalij carperis arte Dei.

Fronte habet errantem yrrhorum Magdala nimbū ;
Ex oculis nymbos disce timere tuis.

De ſene amante.

37

Canus Alaſtor amat : Sapiens in amore videtur;
Eſſe poteſt ſapiens, ſi quis amare poteſt.

Ad

Lycoridem lachrymantem.

38

Fletibus è ſalſis ardorem effundis, Amatrix ;
Sic quæ vndis genita eſt, ardet in axe Venus.

De Phyllidis ſtatua.

39

Eloquar, an ſileam ? iubet obmuteſcere ſaxum;
Aſt Amor ipſe etiam ſaxa ſilere negat.
Marmoreus ſonuit ſi Memnon pulſus ab ictu,
Ictus marmoreo nunc ego Sole loquor.
Pectus ebur ſimulat ; niuibus ſunt æmula colla,
Lilia fronte albent, candicat ore dies.
Proh ſtupor : heu niuea viuax in imagine Phyllis
Spirat, & algeſcens eſt mihi flamma lapis.
Nec mirum ; nam ſæpe ictu lapis excitat ignes,
Flammantiſq; animæ ſemina marmor habet.
Sed quid ? dum vĭua ſtupeo ad miracula formæ,
Flamma ſibi eſt Phyllis, ſum mihi marmor ego.
Et, ſi Pyrrha olim ſilices in corpora vertit,
Nunc in ſaxa meum corpus abire iuuat.
Euitet cautem perituro remige pinus,
Phyllidis ad cautem naufragus eſſe peto.
Nunc fruſtra doleat ſe vinctū ad ſaxa Prometheus,
Hoc ſolum vinctus marmore fauſtus ero.
Mauſoli coniux ſaxo tumulauit amantem,
Viuus ego in ſaxo tempora amata traho.

Nec Gnidiæ Veneris silicem mihi Gratia iactes,
Illa homines potuit, hac meruisse Deos.
Marmor amo; & fidei pignus dum mente recurro,
Sola meam referunt candida saxa fidem.
Non Phoebi radios timeo, non frigora Cauri,
Nulla æstas lapidem, nulla retundit hyems.
Strymoniæ vt volucres spernant Borealia flabra,
Dat solida in ventos pondera amica silex.
Nec quia corde carent, lapidum simulacra recuso,
Quisquis viuit amans, corde carere solet.
Nec silicem renuo, quia non dent marmora voces;
Echo marmoreo dat sua verba sinu.
Iam mea damna æquant terris miracula rerum;
Sub lapidis forma Phyllidis igne cremor.
Viuo silex, & amans: & Mors vbi venerit atra,
Vt marmor vixi, sic teget ossa lapis.

Marito,
qui quartam coniugem duxerat.
40

Iam quarta est coniux; sed natos Parca negauit!
Plus nulli in terris, quam tibi, Parca dedit.

In
vetulas amatrices.
41

Non Hecubæ vultu, Niobis nec aduror ab igne:
Non mihi cura Canis, nec mihi flamma Lapis.

De Musis.
42

Tu, qui virgine fronde gloriaris,
Ne Phœbi memores chorum pudicum;
Linum, & Threicium dedere Vatem
Fœcundo Aonides sinu Sorores!
Impuras Helicon habet Camœnas.

Pul-

Pulchritudo puellæ.

43

Obtenebrat stellas Phœbe, tu sola puellas,
Pulchra essent aliæ, tu nisi pulchra fores.

In Eunum
calceorum elegantijs studentem.

44

Eune studes, laxa ne pes tibi liber aluta
Enatet, & corio liberiore fluat.
Sudorue, aut puluis ne se se glutinet vnà,
Calceus aut crassa sordeat vdus aqua.
Quin grauis inuigilas, gyro vt se Lunula curuet,
Et solea arctetur pellis Ibera breui.
Vt caput in latum se pandat calceus vltro;
Et se, supposito subere, planta leuet.
Atq; Cupidinei speciem referentia floris,
Serica vincla ligent subdita colla pedis.
Neu pellis duro silicis lædatur ab ictu,
Palleat aut vsu deteriore nitor.
Eune, quid insanis? caput est in rebus origo,
Tu caput in pedibus deliciosus habes.

Lusori amanti.

45

Magnum auri pondus damnosa Canicula rasit,
Sæua tibi reliquum nunc Venus ipsa rapit.

Amator
illachrymans.

46

Defleo tristis amans; tamen heu me fulmina adurũt;
Quò mage torret Amor, hòc mage gutta cadit.
Sic Iuno, eiaculans fulmen, ferit ignibus imbres;
Et scissus nymbus maior ab igne fluit.

Principi amatori illiberali.

47

Auro ne parcas, si Princeps quaris amores;
Vix aurum Danai Iuppiter ipse fuit.

In Glyconem amantem delicatulum
Menandro Comico moribus parem.

48

Qui variè amictu Comico induitur Glycon,
Liquore delibutus Assyrio madet,
Candente in orbem circinat ferro comas,
Molles lapillis Indicis aures trahit,
Adulterino effœminat minio genas,
Bacchis Erythra eburneum collum grauat,
Ditat micantes gemmeo digitos Tago;
Euentilante serico clamydis tumet,
Lucente caliga lacteum velat pedem,
Et delicatum languidus gressum mouet:
Menander esse non nisi verè potest.

Venus Lacedæmonia
armata.

49

Belligeram tractat Venus hastam. Martis amantem
Non vult imbellem fortis habere Lacon.

Ad N. verè pulchram.

50

Non est, quod forma nobis Cytheraa puteris;
Cyprida dum simulas, es Venus ipsa mihi.

De hodiernis fœminis.

51

Velox ingenio, sed non pede fœmina currit:
Ladas esse nequit; lignea crura mouet.

De

De Glycone,
qui spernebat amatoria carmina.

52

Graui. carperis, ò Glycon amore:
Altè v scera sæuus vrit ardor,
Totisq; ossibus æstuat Cythera;
Et vultu renuis tamen Sabino
Horatj legere eleganter ore
Cantatas Veneres, iocos Catulli,
Et quæ Bilbide natus in remota
Sensu carmina pruriente fudit:
Damnas Cornelij impudica verba,
Peligni cecinit quod agri Alumnus,
Quæ scripsit patrio Albius lepore,
Et quod Cynthiæ amator eleganti
Vmbris in laribus nitore finxit.
Vera Cypridis æstimator ardens
Fictum in Vatibus exprobras amorem?

In amatorem chiragra laborantem.

53

Cum doleas chiragra, mæcham contendis adire?
Debuerant podagræ dignius esse tibi.

De pulchra Muliere.

54

Nil iuuat ore color: quid pulchrius Iride fulget?
At tenui breuiter vana colore perit.

Attalo amatori.

55

Ne credas, firmis te legibus Attale amare.
Aut stabilem terris promeruisse fidem.
Non fixum se se iactat Cytheræa planetam;
Ipsoq; est errans, Cypria Diua Polo.

Ad Chloridem caluam.

56

Dentatum eſt pecten ; ſed non tibi fronte capilli:
Fortuna , ò Chloris , non potes eſſe mihi .

De
meretricula canente.

47

Commentis blandis ars ſi deluditur arte,
Ingenioq; poteſt maxima culpa tegi .
Non vt delectet, putri canit ore, Lycoris;
Sed , fœda vt nequeat baſia ferre, canit.

Ad
Amorem , & Venerem.

58

Anceps iurè agitur vario diſcrimine Amator :
Aëre Amor nutas , & mare Cypri natas.

In
Armillam.

59

Proh pudor ? arcana dum ſede Armilla moraris,
Te tunica , & ſtricto faſcia crine ligat.
Sed dum ſecedens laribus, ſacra Templa frequentas ,
Ora tibi Heſperio tincta nitore rubent.
Purpureo veſtes intexta Gange renident ,
Plurimus aurato vertice ſpirat Arabs .
Ah potius fallax artes inuerte procaces :
Eſto domi Thais ; Portia templa ſubi.

De Lypari.

60

Dulcia amat Lyparis, vult dulcia , dulcia laudat :
Mellis arundinei viuere rore poteſt .

Mul-

Multiforme caput.
61

Pars alba est capitis, pars nigra, sed altera calua:
Vnum tam variè non caput esse potest.

De Venere cum Filio iocante
in Cypri insula.
62

Cypri in thoro virenti,
Quà latrat vnda Nerei,
Nato suo iocantem
Diuam vide Cythera.
Sed Filio furenti
Atrociter iocantem:
Hic odit, illa sauit.

Amica
dat violas amanti.
63

Nil mirum, viola si pallida munera mittas;
Pallentes venas ebibit altus Amor.

Amasiæ
puluere obuolutæ.
64

O' Lapathon, nostri pars ardentissima cordis,
O' anima, Lapathon, vnica flamma mea.
Puluere te cingit Tellus; ego degener ignis,
Vt tua membra tegam, non cinis esse queo.

De sua Hyella
à raptoribus exagitata.
65

Quæ mihi cor rapuit, raptatur: Furculi abite.
Cedite: Fur furem non benè tutus agit.

Venus armata.

66

A Marte eripui minitanti caſſide ferrum:
Nullus debet amans moribus eſſe ferox.

De pulchritudine
Europæ.

67

Europam Puer Idalius cum fortè videret,
Acriter Europa (dixit) amore premor.
Iuppiter ab faueas: quod ſi non pronior adſis,
Europam vt rapiam, tu mihi Taurus eris.

De Baccho
& Venere.

68

Idalis, & Bromius ſunt improba Numina terris,
Hic nocuit Lapithis, perdidit illa Phryges.

Tumulus
Magdalenæ.

69

Hic puro tegitur candeſcens Magdala dente:
India iam gaude; verius albet ebur.

Ad Lesbiam.

70

Lesbia, ſi tecum Genitrix contendat Amorum,
Prima, vel Idæo iudice, poma feres.
Te maius nil Terra parit, nil educat Orbis,
Aſtra dedere tibi, quicquid vbique fuit.
Tu Luna, & Phœbo maior: quid plurima dicam?
Ni teſtes eſſent lumina, nulla fides.
At cur quæro fidem? iam Mundo Numen haberis;
Sitq; fides in te, præteriſſe fidem.

Ad

Ad Pictorem, qui mirè effinxit Venerem.

71

Qui cautus fueras, viuam nunc Cyprida fingis:
In te, te fingis non benè caute iocos.

Ad Circem pulchram meretricem.

72

Cyprida credideram, sed Circen cogor amare:
Omine non poteram deteriore frui.

Amans in carcere detentus
ad Custodem.

73

Inter vincla loquor? cum libera verba supersint
Inter tot nostris addita vincla malis.
Custos, exanimem crudeli compede solue,
Quem sæuo dirus compede vincit Amor.
Cæcis Idalium famulum ne claude tenebris;
Solis adorantes lumina lumen amant.
Aeolus ipse atrox, qui frænat carcere ventos,
Spelæa interdum laxat aperta Notis.
Acriter heu nodis crucior detentus ahenis,
Et dulcis ratio stat mihi nulla fugæ.
Iras tu cohibe ferratæ Ianitor arcis,
Nec me Tartareo viuere crede lacu.
Orcum alibi timeo; sed tu cum Cerberus adsis,
Hic mihi nunc Orcum verius esse reor.
Aerata in turri Danaë Ioue gaudet amante:
Me tamen hac nullus Iuppiter arce iuuat.
Dædalus aufugit turrito è carcere pennis,
Et mihi pennigerum carcere Numen obest.
O' Custos, pietatis habet si præmia carcer,
Et tibi si tangit pectora mitis Amor.
Alterius sic te numquam custodia lædat;
Clausas euulso cardine pande fores.

Semina claudit humus, primo sed amantia rore
E' gremio in lucem libera mittit humus.
Sic laberinthæo meruit iam carcere solui
Theseus, Gnosiadem dum veneratur amans.
Vincla relaxentur; mihi sunt sine crimine mores,
Si non est crimen, quod patienter amo.
At sæuos diro tu mores ducis ab antro,
Et pœnis inhians noxia damna probas.
Si pœnam quæris superaddere, desine amare,
Est amor in nobis debita pœna sibi.
Si vitam poscis, perij malè functus amore;
Quidq; semel perijt, bis perijsse nequit.
At quid vana peto? monstrum implacabile sæuis,
Nec morti parcens, in mea fata furis.
Me miserum: letho iam functa cadauera vexas,
Et tumulo, plusquam carcere, membra premis.

Ad senes seueriores.

74

Dum mea lasciuit ridenti pagina Clio,
Et Cytheræus ebur pectine pulsat Amor.
Sum Vates: Tatij, & Curij, ne carpite lusus;
Iam Curijs caream, iam Tatij taceant.

De marito mœcho.

75

Ne quære, an habeat Sabella natos;
Heredem petulans habet Maritus.

De Leandro marmoreo.

76

Ne mortis furias posthac iactate, procellæ;
Nomina corporibus nec tumulate mari.
Olim mersus amans Leander marmoris ira,
Artifice hic dextra marmore viuus amat.

In elegantulum.

77

Oſtro ardes, nardo ſtillas, & crine niteſcis;
Cultum odi; res eſt putida cultus homo.

Deformi amatori.

78

Cum, Venere inuiſa, lucis ſis natus in oras,
Vincere Naturam callidus Arte paras.
Vocales docto nunc tentas pollice chordas,
Mæandro induſtri nunc agitare choros.
Motis in numerum nunc tundere tympana palmis,
Nunc arcto rapidum Cyllaron orbe rotas.
Sunt tibi nunc Arabo redolentia tempora nardo,
Nunc albas decorat purpura Ibera genas.
E' Cimbris quæſita tument nunc carbaſa collo,
Nunc grauis innumero dextera Gange nitet.
Omnia ſi tentes, ſi fingas omnia demens,
Ipſam nec Floram ſollicitare potes.

In ſenem amantem.

79

Par annis Coruo, Phariaq; æquande volucri,
Spernis iam Pylij ſæcula terna Senis.
At Gnidios ſequeris luſus, tractaſq; pharetram,
Idaliamq; agitas in tua damna facem.
Tithonem vt vites, iam Cælum Aurora relinque;
Tithonem vt fugias, iam ſuper aſtra mane.

De puella meretrice.

80

Longè ſit Aegle, quæ ſepulta fornice
Togata proſtat, & duos cyathos rogat;
Fruſtum lacerti poſcit, aut rorem gari;
Nuces Auellæ quærit, aut Apri pedem.

Meis sed affer blanditer votis opem,
Tu, quæ stolata nobili recubans thoro,
Odore madida, & vestium luxu potens,
Absumis Arabas, vendicas Seres tibi,
Tago coruscas splendida, aut Hermo nites.
At si requiris, quod tibi munus feram?
Non dona mitto, digna sed donis peto.

Bellator
amans.
81

O' mihi gratus honos, ò rerum Martia pompa;
Qualem vix peperit Dardana Roma sibi.
Dat mihi iam pœnas Latio pro sanguine Pœnus,
Vltorem Crassum Parthicus hostis habet.
Verùm, si Paphij subigam fera colla Tyranni,
Monstrorum clades, Hercule maior ero.

De rosa
dicata Veneri.
82

Celsa Rosam Veneri dederint cum Numina, iurè
Spinosas curas nunc Erycina serit.

Virgo
cuidam Ignatio,
qui illam sollicitabat.
83

Desine amare procax, nomen sortiris ab igne,
Flagrat ab innocuo corpore flamma procul.
Sed vano Famæ tu forsan captus amore
A' magna nomen quæris habere face.
Aspectu quamquam sit delectabilis ignis,
Vndiq; damna parans, noxia flamma furit.
Laudatas Phrygiæ gazas ferus ignis ademit;
Infami iacuit sacra Diana face.

Iurisconsultus
accipit vxorem annosam.
84

Iuncta meo Vetula est iuri; quid sciole rides?
Oracla expectes, est mihi iuncta Themis.

Caluo
amatori.
85

Dum tu caluitio studes mederi,
Nudum pelle caput tegis nitenti:
Heu iam vertitur omnis ordo rerum,
Si cœpit caput esse calceatum.

Venus
de Adonide.
86

Fortior euictis monstris cum certet Adonis,
Syluestre, heu patior, quod petat ille iugum.
Credideram paci lucos ibi surgere inermes,
Et solum in campis prælia Marte geri.
At campum heu demens viduatum nosco tumultu,
Et per me Marti sylua cruenta patet.

Ad
pauperem aratoris coniugem.
87

Fer Leonilla iugum, nec aratro inuisa Mariti
Diffide: hæc omen fertilitatis habent.

De
poëta olitore.
88

Carmen, & herba alijs si ducit ab aethere Lunam,
Nil in amore mihi carmen, & herba valet.

Ad meretriculam
balnea frequentantem.

89

Multa fœda lue heu Thermas, Altilla, frequentas,
Et vano vitium corporis amne lauas.
Cum membra innumero tibi ſint iam lurida tabo,
Eſt Agrippa parum, nec Caracalla ſatis.

Lætitiam commendat.

90

Dum curas abigis, ſenij ne damna timeto,
Qui iucunda trahit tempora, Neſtor obit.

Seni ad pilos reſecandos
vnguentis vtenti.

91

Hirtas, Draune, genas pſilothro, & dropace purgas;
Tonſores, Siculas rurſus adite plagas.

Amator iniuriosè loquens.

92

Ira dum caleo, nimio dum torreor æſtu,
Erranti peccat garrula lingua ſono.
Verbo parce leui, leuius quid voce? loquela
Non crimen, culpa eſt: nec ſcelus error habet.

Aliud.

93

Aëre ſi vario ludentia murmura noſcis,
Errorem dices, non ſcelus eſſe ſonum.

Adoleſcenti vetulam amanti.

94

Ne tria luſtra iniens, veterem cole Phyllida: cum ſit
Mœcha ſepulchralis, iam tua buſta colis.

Ad militem amantem.

95

Ne iactes, Athesim per te vomuisse cruorem,
Corporibus cæsis intepuisse Padum.
Vidisti demens iaculantia lumina Lillæ,
Nulla tibi prodest iam fuga; vulnus habes.

In vxorem ornatissimam.

96

Secum Nice fert omnia;
Non vxor est, sed cochlea.

De homine, & fœmina vecordibus.

97

Nec virgo Lycias, nec est vir Aulus;
Quis binum poterit negare Ceneum?

Pompeio amatori odorem redolenti.

98

Dum tibi læta fluunt Pompei opobalsama crine,
Fusaq; odorifero tempora rore madent.
Non sit opus veteris Pompei fortibus armis;
Si vel crine tuo perditur omnis Arabs.

Amatori balnea frequentanti.

99

Balnea Gilde petis; sed dū hæret tibi pallida Phyllis,
Feruida iam vitas, frigida sola petis.

Ad Alteriam.

100

Natura vires dum pulchra Alteria vincis,
Igne calent venæ; me tua forma rapit.
Nam cuncta ornatu vario tibi dona dederunt
Gratia, Clio, Themis, Iuno, Minerua, Venus.

De

De mira saltatrice
Ibera.
101

Dum Berecilla ictu se Gaditana canoro
Voluens in gyrum, turbine corda rapit.
Sol frustra in gyrum, cum tractas spicula Cælo,
Astra moue: Hæc Terris omnia inermis agit.

De Venere.
102

Iunonem Samiæ canunt puellæ,
Plaudit Creta Ioui, Herculiq; Pisa;
Doctis Tyndarides sonant palæstris,
Martem Threiciæ pauent pruinæ;
Vulcanus Liparæ tonat sub antris,
Laudat Numina Lampsacus Priapi,
Stat Pan Arcadia,Ilioq; Vesta,
Buxis Dyndima concrepant Cybellem,
Hammon æstuat Indicis arenis,
Latrat per Pharios Anubis agros,
Cyllene aligero Deo tumescit,
Aris Persephonem sacrauit Enna,
Pæanem Rodiæ celebrant carinæ,
Saturnus Latijs superbit oris.
Cælum, Terra, Fretum colit Dionem.

Seni comam concinnanti.
103

Dum studet incanos Sapiens torquere capillos,
Compto Fabritium ludite crine senem.

In Murrham imberbem.
104

Nil lasciuius est calente Murrha:
Integrum prope sæculum est Ephebus.

Se-

Seni Gallicè ægrotanti.

105

Non ſint, perpetua ſuperent qui ſacla iuuenta,
Nec fera Parcarum vincere penſa queant.
At ſolum per te ſemper, Tynthia coniux,
Hebe purpureis floreat alba genis.
Dum Paphio tibi barba malo iuueneſcit anilis;
Victor Amoris ope, ludere Fata potes.

De Lycida, & Alaſtore.

106

Mella ſibi Lycidas, & apem ſibi legit Alaſtor;
Aſpera ſed Lycidas, dulcis Alaſtor erat.

De Amore.

107

Quod loquitur, non ſentit Amor; mel promit amarū:
Ne ludo fidas: luſitat acre Puer.

In Dorilem, & Alaudam.

108

Alba riget Dorile; & nigro ſuffuſa colore
Non minus in noſtrum ſæuit Alauda ſinum.
Hæc animo eſt atrox; & moribus illa ſuperbit:
Aſpectu alliciunt, aſperitate nocent.
Verſor in ancipiti: faueas Cytheræia Mater:
Nox tenebroſa furit, lux radiata ferit.

Romano reſpuenti amores Nouercæ.

109

Paule, nouercalem ſanctè auerſaris amorem,
Et Romæ Heroas continuare potes.
Exemplo hoc clarè niteat cum Dardana virtus,
Iam non Hippolytum Græcia, Roma videt.

De

De carminibus amatorijs.

110

Est mihi carminibus lasciua papyrus aranda,
Cincinnate procul iam mihi arator eris.

Ad Lycidam.

111

Pallida Ericto herbis lethalia fata ciebat,
Et succis, Licidas, tu mihi fata paras.
Immo animo, nutuq; oculisq; atque ore ministras
Insidiatrices in mea damna faces.
Non herbis solum, variè sed lador amore:
Vnaq; in Lycida plurima Ericto nocet.

In Natalem Amoris.

112

Orbi nasceris, ò Parens amorum,
Ardens flammula pectoris niualis;
Et vernans animi æstuantis aura.
Omni nectare delibutus Infans,
Annosum genus, & tenella pubes;
Per te iam trepidat minis Olympus,
Rex ponti in gelido æstuat profundo,
Nec tutus Stygio Orcus est Tyranno.
Tu miti studio fugis, Puelle,
Custodum arbitrium seueriorum:
Hares blanditijs, Puer leporum,
Et cunæ ioculis, crepundijsq;
O' & suauiolum iuuenculorum,
O' & delicium iuuencularum.
Terræ diuitiæ superbiores,
Cæli deliciæ elegantiores.
Tu flos maxime delicate florum,
Spernis roridulæ rosæ lepores,
Tu scis vincere lilij nitorem.

Cośło gratior Indico vaporas,
Et tymbra melior superbis Infans:
Dulcis lætitia, & decens venustas,
Terris maxima Cælitum voluptas.
Vix prima articulans sonos loquela,
Et cedit cythara tibi Repertor;
Vix secure solo mouere gressus,
Et iam tuto Polum subire pennis.

Ad Lanificam.

113

Scis lanam glomerare leuem, scis nectere telas,
Et rudia attrito pollice pensa trahis.
Virgatis semper calathiscis vellera seruas,
Estq; tibi filum ducere, docta manus.
Non se,se Nilus tela Memphitide iactet,
Laudet Achæmenium nec Nabathæus opus.
Dum tam clara tua celebro velamina tela,
Carminis ipse mei tela perennis ero.

De Lycade amatorem sanante.

114

Lycas saluti cum suum reddat virum,
Iam debet Aesculapio gallum Lycas.

In Annam vetulam.

115

Dentibus Anna minax, sed terno fulmine saua,
In nos ferre Iouis tela trisulca potes.
Ipsa tua garrit plus Rana Seriphia voce,
Et Crocodilus hians mutuat ora tibi.
Dat glacialis hyems rugosa nubila fronti;
Et passa aridulas asperat vua genas.
Sunt rari (vt plantas Austro lacerante) capilli,
Et claro, qualis Noctua, manè vides.

Formosa est collum, gremiumq; ex:le Cicadæ,
Mammaq; Sarmaticis cautibus hirta riget.
Qualis & in Cynico, tibi prominet offeus horror,
Aluneq; contracto macra rigescit Anas.
Vt glacie albescunt frondes, sic vertice candes:
Credideramq; niuem, ni cinis ipsa fores.

Amantium querelæ.
116

Dum niue tu friges, dum multo ego torqueor æstu,
Tam tibi frigus obest, quam mihi flamma nocet.
In te verba ligat gelida formidine terror,
In me, vt feruor habet plurima, nulla refert.
Nostris sic ambo genijs fraudamur, & aquè
Nix Veneri haud prodest, fax in amore nocet.
At si nostra mouent Superos, & vota probantur
Aethere, nec Pietas respuit aure preces:
Dissocient elementa fidem; Et miremur amore
Incaluisse niues, obriguisse faces.

In Paridem militem amantem.
117

Mars armis certat, sed Cypria pugnat amore:
Arma decent alios, tu Pari semper ama.

De Muliere, quæ mirè acu Opera pingebat.
118

Quæ gemmis, auroq; rigent squallentia dona,
Hæc docta pinxit sedula Phyllis acu.
Qualia Apellæo spirant animata colore
Naturæ artificem signa imitata manum.
Hic tibi crispantur Zephyris plaudentibus undæ,
Et teneras frondes aura canora mouet.
Vernant insueto pubentia germina cultu,
Luxuriatq; nouis textilis herba comis.

Fæ-

Fœcundat teneros stabilis Berecynthia partus,
Et verè hic dicas: Nil magis arte valet.
I nunc, ò Tellus, quæ fœtu damna rependis,
Interituq; tuo maior in orbe redis.
Cede lubens: te fœdat hyems, te frigora nudant;
Hic radiant vndæ, gemmea prata nitent.

De amatore, & pudico.

119

Semper amans moritur, semel occidit osor amoris;
Vt semper viuas, disce perire semel.

Lilla interit, dum sumptuosè cœnam parat.

120

Lilla perit, nimio dum fastu præparat escas:
Ipsa nocet nobis ambitiosa fames.

De Nympha inter flores ambulante.

121

Dum pede gemmanti Chloris viridaria signat.
Florentes Cythisos enituisse vides.
Surgunt exiguis suspensa Sisimbria nodis,
Et rubri fulgent fila superba Croci.
Stant aureæ Violæ, & ferruginei Hyacinthi,
Inuidia pallens albicat ore Rosa.
Et Nympham spectant oculis stellantibus Arua;
Sunt Flori luces, Herbaq; lumen habet.

Dum Rosam puellam intuetur, rubet, & deflet.

122

Dum te, te intueor, placidis Rosa lucida flammis;
In me flammescunt imbre madente genæ.
Soli par fulges; nam Sol geminatur in vndis:
Vna es, sed geminæ sunt mihi in ore rosæ.

Cele-

Celebrat coniugium.

123

Mitia festiuis Hymen ciet ignibus arma,
Carasq; in rixas sollicitatur Amor.
Da pugnam Cytheraa; facesq; vt lumine viuant,
Exagitet pennas ipse Cupido suas.
Dissidio certare iuuat, stent pignora belli,
Progenies pretium dulce furoris erit.
Pallida non blando paueas certamine Coniux,
Pralia amica Venus fertilitatis habet.

N. modestiam simulanti.

124

Occultam exerces Venerem, simulasq; pudorem:
Vera exercetur non sine teste Venus.

Altilianæ laus,

125

Altiliana, tuas numero dum carmine laudes,
Iam nosco, quanta sit niue canus Athos.
Quot Sicyon baccas, quot amœna rosaria Pastum,
Quot flores Zephyrus, quot ferat Hybla fauos.
Gargara quot spicas, quot habent iuga Nassica vites,
Quot rores concha, quot Cytheraa faces.

De Græca meretrice.

126

Ficta odi; tu Graca tamen me dulciter ardes:
Gracia cum placeat, Fabula & ipsa placet.

Vult amoris damna recensere.

127

Versibus heu frustra conor mea damna referre,
Non mihi si linguis pluribus ora sonent.

Non

Non & si totum Paan Helicona recludat,
Aut mihi sit lauris plurima Cyrrha suis.
Non si Maonijs animentur pectora Musis;
Namq; mei nimis est Ilias atra mali.

Vario
amore agitatur.
128

Quã sequar in dubio est, fugiamuè, petamuè puellã,
Anceps vrget amor, sed mea corda labant.
Discrepat in nobis, nec mens se consciã firmat;
Et, ne sim diues, copia sola nocet.

Fœminæ
Ibero ostro depictæ.
129

Pallenti in vultu dum sic rubicunda nitescis,
Punicus in lanis est minor ipse color.
Frustra & Amyclæis medicatur vellus ahenis,
Nec Cadmæa rubro purpura rore madet.
Phocaicum nec lana bibit saturata venenum;
Iam Tyrius murex verior esse potest.

Philomela
mœrens.
130

Cum doleam, & pudeat, me cogit vtrumq; silere,
Est mihi virginitas, est mihi lingua minor.

In limine domus
expectat Epistolam ab amica.
131

Cerula cara veni, sulcoq; liquente repostos
Redde animi sensus, limine hiante veni.
Sic tacita in nostro cura nunc ore loquuntur;
Sic desiderijs cor violenter hiat.

In

In lasciuum.

132

Desine amare procax, nec te Venus improba tangat;
Astra furore micant, si malè Cypris olet.
Dum calida exhalant spirantem corda Cytheram,
Ipsa Apis Hesperio sauior Angue furit.

Mulier rixis nata.

133

Fœmina vbiq; studet rixis: stat Pallas Olympo,
Et gestare ipso vult tamen arma Polo.

Amans ad Echo.

134

Rupibus arcanis quæ Vox, Nihil, Aura vagaris,
Ipsisq; ex Antris Vox, Nihil, Aura sonas.
An miserum me reris? eris specus ipse resultat:
Tristis habent fati vel caua Saxa fidem.

Iuueni amoribus variè detento.

135

Omnes vt artes calleas Cypriæ Deæ,
Et dulce vario transigas æuum ioco.
Libidinosè pruriens, blandè canens
Tibi Lilla in vsum Veneris, in lusum est Glycas.

Lycoridi transeunti ad secundas nuptias.

136

Iam te iungere vis secundo Ephebo;
Nubi difficile est viro, Lycoris.

Coram Lilla obmutescit.

137

Ter sum conatus Lilla dare verba, ter hæsit
Languenti nimium lingua retenta metu.

Iam ſcio, cur duro torpeſcant verba palato;
Vicina eſt mortis præſcia lingua ſibi.

In
Gallum
adulterum.
138

Tam benè cum Gallus patret ſua prælia in hoſtes,
Cum populo vxorem non benè Gallus habet.

Amans.
139

Heu, heu quid patior? nulla medicabilis herba,
Aſtro ſub læuo concutit oſſa dolor.
Diſcrucior flammis, & longo tempore ſæuit,
Membrorum populans robur, anhela lues.
Ah iam deciduo ſe ſpiritus egerit ore;
Nulla medela ſatis, Vulnera acerbat Amor.

In
Thaidem.
140

Quod non à populo ſcias amari,
Ne pergas furere; es duplex Megæra.

Ad
Abſalonem.
141

Euro ſæpe leues (pendentia gaudia) crines
Per tua colla ioco luxuriante dabas.
Capta puellarum nectit ſibi rete caterua;
Dumq; fugis Martem, pectora amore feris.
Hanc ad cæſariem Zephyri feruentius ardent,
Arboreæq; audent cingere colla Deæ.
Eſſe alijs ergo crines iam vincula crede;
Cum tibi vel mortem proſpicis eſſe comas.

Ad amantem, qui scribebat epistolas.

142

Cadmeas animare notas tua sapia docta
Tentat Acidalias dicere sæpe faces.
Oram plumantem tetro ne sparge veneno,
Nec nigra Idalios pingat arundo iocos.
Dum Veneres scribis, charta nix fulgeat auro;
Nata est ex albis aurea Cypris aquis.

In Vetulam.

143

Vis iunior dici; Priami sed crederis altrix;
Hectoris & cani diceris esse socrus.
Si vera intueor, nurus est Sipyleia mater,
Et veteris Pyrrhæ magna proneptis ades.
Hoc tamen es iunior, nam dum capita alta rigescunt,
Nix tibi damnatum non tegit ulla comam.

Venus illachrymans.

144

Exundat lachrymis, tamen ardet fulmine Cypris:
Exardet sociis sic quoque fulgur aquis.

Echo de amante.

145

Proh fatum? arenti cur torpent viscera tabo?
Cordi alto læsum vulnere clamat? amat.
Num, Tusci similani resonantia Monstra profundi,
Cantus amatori robora præbet? hebet.
An mulcere potest doctos imitata Mæandros
Cordis amaritiem blanda Chorea? rea.
Si lare detinear, poterit vis Cypridis atrox
Arcano tecto me violare? lare.
Forte erit ars facilis, qua mitem Cyprida reddam,
Si Veneris subeam limina pronus? onus.

Et

Et dum sic patiens curarum pondera voluo,
Me semper miserum viuere reris? eris.
At quis Acidaliæ dedit incunabula Matri,
Quæ sic tristè iubet pectora amare? mare.
Infelix ergo Paphio cessura Tyranno
In me nunquam ætas florea stabit? abit.
Proximus & fato diri sectator Amoris
Iam propria tracto vulnera stragis? agis.
Hinc procul ergo volans, procul hinc secede, Cupido;
Quis vix est Veneris vulnere sanus? anus.
Solum igitur terris tutus sua fata subibit,
Qui moriens Lethes flumina radit? adit.
Vt vincam has vires, & Mortis spicula vitem,
Quæ tandem peragam tempora lege? lege.
At si me pigeat, doctæ impallescere chartas
Quis damno poteris claudere limen? Hymen.

Ad Nymphas
de Hyla submerso.

146

Cum genitus Phrygia Ganimedes vrniger Ida
Misceret supero nectar in axe Ioui.
Vos gelido rapuistis Hylam sub gurgite, Nymphæ,
Neptuno vt pulcher pocula ferret Hylas.

Ad fœminam
textili arte nobilem.

147

Aut globuli ambagem componas ordine docto,
Aut filis iungas insita fila nouis.
Siue opus intortum tibi pendula molliat vnda,
Seu repetant alabro fusa reuersa vias,
Aut Pelusiaco radius det stamina textu,
Seu Phrygia telas dextera pingat acu.
Si iam cum Lyda Pallas certauit Arachne,
Pallada nunc telis tu superare potes,

De Fabulla
fabulante.

148

Vultu venusta, & copia fandi potens
Semper Fabulla fabulis nugas serit.
Varijsq; tardum lusibus trudit diem;
Cupidinisq; furta, & illecebras Iouis
Vulgare docta, gaudium est cunctis procax.
Turba agminatim pro Fabulla seria,
Leuesq; certant: illa nunc vultu rubet,
Nunc timida pallet, nunc recrudescit furens;
Et modo serenat nubilum mœsti sinus,
Crebrosq; sæpe ludicra in risus hiat.
Sic mille, Protheo similis, in facies iocans
Fabella bella fit Fabulla Fabulis.

Lillæ
senescenti.

149

Ne doleas, si Lilla vides vergentibus annis
In tua damna louem præcipitare diem.
Occiduo moritur proles Hyperionis ortus
Ipsoq; in Cælo fit quoq; Luna senex.

Ad formosam.

150

Ne forma tumeas, cristalli consule lucem;
Aetatem fragilem vitra caduca monent.

Amantium fata.

151

Sunt diri in se se fata aduersantia Amoris,
Et semper damnis dissociata suis.
Vt flagrans Aestas, est cordi feruor Amantum;
At vultu color est, vt glacialis Hyems.

Lau-

Laudatori
pulchræ Mulieris.
152

Dum pulchram laudas, proſcindis vomere littus,
Semina das vndis, aëra bobus aras.
Sunt Baccho vites, Cereri ſunt ſpicea dona;
Et campo flores ingeris, aſtra polo.
Flammis ardores, & ſyluis robora iungis;
Poma habet Alcinous, flammea tela Venus.

De Helena, & Penelope.
153

Pernicies terris eſt ſemper Fœmina; caſta,
Seu meretrix, nobis vltima fata parat.
Quot iuuenes Helenæ vultu cecidere Pelaſgi;
Penelopis facie tot periere Proci.

Iratus in pallentem fœminam.
154

Ne doleas, ſi fortè meis furis incita verbis,
Dum mihi liuor obeſt, pulchrior ira tibi eſt.

Coniugibus ætate decrepitis.
155

Saluete æternum, ſæcli prudentia noſtri,
Tu Cumæa Parens, tu Pylius Genitor.
Non eſt in terris, quod veſtrum accedat ad æuum,
Et laſſa eſt, vobis lumina ferre, Dies.

Odium in Phrygem.
156

Cum Phryge bella geram, dũ Thraces ſpicula mittent,
Arcu dum Meroë bella ſonante feret.
Memnonis in matrem dũ Ganges murmura voluet,
In Zephyros curſum gurgite Iberus aget.

Alba teget Redope dum canis arua pruinis ,
Maurū vmbrabit Atlas , cum Phryge bella gerā.

Amat Lillam flabellum agitantem.

157

Lilla flabellum agitas ; at habet contraria motus :
Ora tibi frigent , & mihi corda calent.

Amaryllidi infidæ.

158

Dum tua defecit, fallax Amaryllis, honestas,
Aestum iam Xanthus, frigora Maurus habet.
Vera Thyestaa redeunt iam sacula cœna,
Phœbus ad Aurora regna remittit equos.
Lympha supinato remeat super ardua cursu,
Multa Malea fremit , plurima Scylla furit.

De Venere, & Amore.

159

Matri quærenti flammas ait Aliger; ipse
Sum flamma , & pulchro Phyllidis ore cremor.

De Margarita pulchra muliere carmen Catullianis numeris adumbratum.

160

Quæ delicati pectoris tenel'ula
Sinu latenti prominent papillulæ,
Quæ colla niuibus albicant lactentibus ;
Quæ suauianda centies labellula
Rubent rosetis molliter tumentibus ,
Quod fronte clarè radiat astrorum decus ,
Et quæ ligustra purius genulis nitent,
Nouis ministrant ignibus Cupidinem ,
Nodoq; mentes arctiore vinciunt,
Et blandè amica prouocant ad oscula.
Inter nitentes æquoris lapillulos

Tu

Tu nata rore Margarita Cyprio,
In quam fecundis imbribus Cælum fluit;
Mox æstuantis inter undas cærulæ
Euganea primum permeasti littora,
Emerita, plusquam Sidonis Virgo, Iouem;
Ponti supellex, Adriæ miraculum,
Deliciæ Amorum, Cypridis solatia;
Iuuenculorum pruriens ocellule,
Terræ superbum sidus, & Cælo inuidum;
Cui famula toto nil secundum parturit
Natura mundo, proximum Superis caput,
Potens fauillis concremare pectora,
Et functa rursus excitare corpora,
Mentiq; blandos admouere spiritus.
Seu limo ocello, & morsicanti respicis,
Vel collo amantis brachium implicas tenax;
Tu digna, tu iocosa, tu venustulis,
Delineata moribus, Charitum parens;
Lasciuientis pompa Naturæ vnica,
Superbientis maximum Terræ decus.

Aliud.

161

Per te, superni flamma viuax ætheris;
Charitumq; splendor, & venustatis nitor,
Flatu sinistro, & sæuienti fulmine
In me Cithera desilit, Paphos irruit,
Imòq; fibras corde populatur Venus.
At prurienti fulgurans ocellulo
Non me papillis secubet teneris Amor,
Aut gremio iniqua Gratiæ auellant tuo.
O dulciorum tæda amorum primula,
Formosa, mollis, mi columba, mi lepus.
Ah parce flammis; nostra sat recessibus
Calent perustis viscera, & voracibus
Altè fauillis æstuant præcordia.

Assuesce nostris euocari cantibus,
Votisq; nosce detineri blandulis.
O pulle passer, o recens luscinia.
O rerum amænitas, & elegantia.
Hedera implicari vt brachijs tenax solet,
Gaude implicari blanda complexum in meum.
Tu renuis horrens, & tamen votis ferox
Cor vstulandum sæuiter mi surripis.
Animula, pluma delicatior leui,
Lasciuior Zephyro, rosis formosior;
Leporis index, & Voluptatis comes,
Veneris superbia, & decus Cupidinum.
Te Noctis vmbra delitescentem cano,
Te Solis æstibus calescentem colo.

In
pulchrum crudelem.
162

Moribus es dirus, lepido tamen ore nitescis.
Sic violenter atrox Sylla venustus erat.

In
pallidam vetulam.
163

Candida quæ flores olim mentita ligustri
Vicisti Alpinas vultu, Amarylli, niues.
Nunc, dum extrema subis profugæ dispendia vitæ,
Stat tibi pro niueo pallidus ore nitor.
Quaq; olim fueras, etiam nunc damna reuelant:
Proxima candori nomina pallor habet.

Amans
illachrymatur.
164

Aspice, amatori se cor vt soluat in imbres:
Humida sic Austro saxa calente fluunt.

Ad Aureolam.

165

Natiuis depicta rosis, tenerisq; ligustris
Interpuncta genas, nobile Amoris opus.
Aureola, excelso pubes aptissima Calo,
Aureola, in solio digna sedere Iouis.
Tu nutu prastans orbem imperiosa coërces,
Et, si non subdis corpora, corda cremas.
Pulchrius haud quicquam te protulit alta vetustas,
Nostra nec aqualem sacla tulere Deam.
Maonis ò vtinam, aut Andini nata sub auo;
Sorderent Helena, nullaq; Elisa foret.

In assiduè desudantem.

166

Sudas, palastris lucta quà nudis calet,
Sudas, docentur arte quà faciles equi:
Vehente sudas roscidum Aurora diem,
Errante sudas Cynthia, vmbrarum Dea:
Sudas, tremente verba dum Arpino tonas,
Sudas, amores Lesbia ludens lyra:
Sopita, sudas, membra dum sternis thoro,
Hyemeq; sudas in rigenti. Clepsydra es.

Ad Licandrum amantem imbre perfusum.

167

Dum feruescis amans, totus fluis imbre, Licander;
Mœrens flebilibus te dolet Auster aquis.

Leonillam in Vrbem euocat.

168

Forma inimica tua quid saxa horrentia dumis
Et sylua amphractus, ò Leonilla, colis?
Cum pulchrè niteas, & tangat gloria pectus,
Euersa heu potius Romula tecta pete.

Si Roma imperium deuicti perdidit Orbis,
Esse potest formis imperiosa tuis.

De Niobe Myronis.

169

Mater, quam Diui vertere in saxa furentem,
Hic è marmoribus plus animata furit.
Ingens artis opus: Superum quam perdidit ira,
In vitam mira reddidit arte Myron.

De eadem.

170

Artis opus mira. Superum qua concidit ictu,
Miscet inexhaustas irrequieta minas.
Murmure quin tacito in Cælum noua iurgia iactans,
Quò plus facta silex, hoc minus ipsa silet.
Quæq; olim in lapidem furijs accensa recessit,
E lapide in Diuos nunc animata furit.
Ter celebrande Myron. Terris hanc perdidit æther,
Tu Dijs extinctam cælo animare potes.

Aliud.

171

Quæ fœtus malè nixa suos, bis pignora septem
Edidit, & Sypili duruit alta iugo.
Viuit adhuc saxo, manibusq; animata Myronis,
Si credas oculis, plus sine corde dolet.
Latonaq; iras nec adhuc oblita priores
Spirat inexhausto pectore sæua minas.
Iam sensu caruit, cum perdidit impia natos,
Nunc illi, vt perdat Numina, sensus inest.
Aemula fulmineas imitantur marmora flammas,
Sensusq; vltores viuida saxa mouent.
Vltio, disce, quid est. Vt pœnam ex hoste resumant,
Saxa manus agitant, marmora fulmen habent.

De

De Dea picta à Guido.

172

Guidi in tabella quid notas vultum Deæ?
Carpere in Apellis Venere sandalium potes.

Amicæ mendaci.

173

O' Lycida, vt Iuno mutabilis aëre fulget,
Et variat Phario Cynthia ab are genas.
Conscia sic culpa vix tollis lumina vultu,
Et dubio mendax ora rubore notas.
Difficile est crimen clara non luce fateri;
Inficit ora pudor, detegit alta rubor.

Mulieri fronte capillatæ.

174

Fronte capillata cum fallax fœmina ludas,
Fortunam crinis nobilitate refers.
Et iurè, instabili cum sit frons lubrica lapsu,
Præceps fœminea stat tibi fronte Dea.

Ad Lycidam,
quæ digitis organum percurrebat.

175

In te laudarem, doctis animabile flabris,
Quod musico Argentum reddat ab ore sonos.
Sed mihi vox hæret: resonum tu tange metallum;
Facunda est verbis aura, loquente manu.

Ad mulierem doctam.

176

Miro homines inter virtutum clara nitore
Aureo tu Sophiæ nectar ab ore pluis.
Datq; Hebe æternos Dijs immortalibus haustus
Mortem è mortali tu reuocare potes.

Damnat insurium visum.

177

In aure censum diuitis gestas domus,
Ab aure patrimonium pendet duplex;
Est auris omni exercitata pondere.

Ad Lillam.

178

Inter delicias, mentisq; alimenta serenas;
Et dulces molli dexteritate iocos.
Te vitam, mea Lilla, voco; sed inanis inclo:
Dum me, cùm libeat, saua necare potes.

De Daphne.

179

Si iam Phœbi ignem Daphne odit, in arboris vmbras
Arcet Phœbæam nunc quoq; versa facem.

In —
opiparè conuiuantem.

180

Est tibi Pauo cibus, Phasis variata colore,
Et quæ de Libyco littore venit Auis.
Cerea te pascit lautis Ficedula cœnis,
Turtur, amore gemens, & glacialis Anas.
Pulchrisq; Aurata maculis, atq; Ostrea fluctu
Edita Lucrino saluia grata ferunt.
Scarusq; è Siculi pelagi tibi quæritur oris,
Et Mullus, pretio nobilis, esca datur.
Vertice Aper Marso, Surrenti nata Iuuenca,
Raraq; quadrupedum stat tibi pompa, Lepus.
Lento victa foco Glis torret amica palato,
Inseruitq; auidæ Caprea lata gulæ.
Ipsa tuo famulans Genio Natura laborat,
Vixq; satis dapibus sunt elementa tuis.

De
Baccho colles amante.
181

Fulmen agit colles, & amat quoq; culmina Bacchus;
Verè progenies fulminis ille fuit.

Rerum nouarum studiosus
cœnam petit.
182

Hic frustra mecum cœnat, qui feruidus ore
Versos Regum animos in noua bella refert.
Et quas portat opes iteratis mercibus Indus,
Quaeq; graui tentat remige Maura ratis.
Vesuius in cineres vt adusto soluitur antro,
Et Calabras Vrbes Aeolis ira vorat.
Vrbemq; enarrat captam obsidione recenti:
In nostra cœna nil habet esca noui.

Ebrij tumulus.
183

Ebrius hic iaceo, somno, vinoq; sepultus:
Pacem corde hausi; potor amice vale.

De potore.
184

An sit nectare puriore Liber
Albano lare, siue Tusculano,
Seu vires graue Cacubum ministret,
Vel gemma rutilent liquente Chia,
Aut vitis melius Falerna sudet;
Caium consulis, & Nepotianum,
Credisq; omnia consulenti Anauro;
Syllam consulere, Atticumq; gaudes,
Et vis Manlium adire consulentem:
Est verè tibi consulare vinum.

In
Martium.
185

Martius, albentes ceras, & carmina poscis.
Teq; iuuat libum, teq; placenta rapit.
Et quæ dat Lybie, dat plumea corpora Phasis,
Cretatamq; togam, sardonichenq; cupis.
Et bellatoris referas cum nomina Martis,
Saturnalitio more tributa petis.

Lusor.
186

Tempore sum maior: nam si terit omnia Tempus,
Semper ego ludens, tempora cuncta tero.

De
extemporanea cœna.
187

Nulla aderant epulæ, subitò stat regia cœna:
Artes Aegeriæ iam Numa rursus habet.

Ad
pauperem
conuiuatorem.
188

Dum lare me recipis Lurcon, epulasq; ministras,
Mensa tibi est tenuis, fagineusq; tripos.
Stat fracti ciceris merces, laganiq; catinus.
Et putri sordens Pallade guttus olet.
Amphoraq; attrito collo, vilisq; lageos,
Statq; piper, natum sollicitare sitim.
Nulli adstant pueri, duo sunt vix pocula mensæ.
Et phsythia est abaci rustica pompa tui.
Attamen olla tibi multa sue lurida feruet:
Natum Campano te reor esse solo.

De

De Pythagora ſcurra.

189

Cum te, te in cunctas mutes, ò Scurra, figuras,
Tu verè es vario corpore Pythagoras.

N. dolet, ſe malè acceptum à conuiuatore.

190

Dum cœnam inſtruis, ò Glycon, laniſtis,
Sumptu Niliaco dapes parantur,
Quales Apicius ſinu vorauit,
Aut Ianus renouat ſuis Kalendis;
Quas ſacro Serapis dedit Miniſtro,
Vel latè ad Cereris thoros calebant;
Aut quæ Romulea Tonanti in Vrbe
Vndant fercula copia ſcatente:
Sed menſis ego ſum tuis Catillo.

In Lycam anum meretricem ſellula vectam.

191

Fulta ferat ſeruis alias iam Sellula Mœchas;
Sandapila eſt, media quæ vehit Vrbe Lycam.

De potatione ex Anacreonte.

192

Flos potat rorem, lachrymas bibit ipſe Cupido,
Et liquidas potant flumina ſicca niues.
Sol bibit humores, bibit humida pocula nubes,
Potat humus pluuias, ſed mare cuncta bibit.
Omnia ſint ergo potus; iuuat eſſe bibacem:
Qui ſpirat, vitæ flamina corde bibit.

In hodiernas delicias pomariorum.

193

Iam non ſeruentur Lybico pomaria ab Angue,
Mala nec Alcinoi Chloridis aura beet.

Hæc grauiora olim; sed nunc lasciuit aperto
Terra sinu, & blando mollis amore liquet.
Sæcli luxuries ipsis apparet in hortis,
Mollitiem in nobis culta fatetur humus.
At dum maturat sua dona Autumnus, ineptit:
Aurea si fuerant, cerea poma parit.

Saltatori bibaci.

194

Vt saltum tollas, Chio vis membra doceri:
Cum benè non saltes, pessima Chia bibis.

Viro opiparè edaci.

195

Sunt tibi boleti, visuri prandia Regum,
Et satura Adriacis ostrea sumis aquis.
E' Numidum camp is sta' Phœnicopterus ingens,
Nudantur rhombis stagna Lucrina tibi.
Clunibus immodicis datur aurea Turturis esca,
Phasidis & pennæ versicoloris Auis.
Frustra iam Reges Memphitica fercula captent;
Vincere Niliacam cœna Latina potest.

De vasibus testeis.

196

Aurea nil prosint Phariorum pocula Regum,
Gemmea seu mensis vasa, Luculle, tuis.
Testea sola placent: Rex aurum Agathocleus odit,
Et Thuscis testis Porsena diues erat.

Ad rusticantem.

197

Sint sine face dies, & puro lumine Soles,
Quà pomis onerat rustica Villa sinum.
Arenti metue Libitinæ spicula campo;
Ipsa aui damnum pallida poma timent.

Ad Abstemium.

198

O rigide Abstemi, sicco qui languidus ore
Labra fluentisonis arida spargis aquis.
Tu crudo es verè genio, nec mitia tractas,
Dulcia dum Genio fundere vina nequis.

Euocatus ab amico ad cœnam.

199

Dum veterem promis iam functo Consule Bacchum,
Et nitidis discis albet amica Ceres.
Et sumpto è Pharijs Romana in fercula luxu,
In lautum spolias cuncta elementa cibum.
Lætor; sic epulis gaudent accumbere Diui:
Odi iam nugas; fabula at ista placet.

Ad dominum Villæ.

200

Pingui rure tenes ramos tibi poma ferentes;
Fœcundoq; colis frondea tecta solo.
Vmbrosa at folijs latè dum culmina surgunt,
Luxuriem arboribus dextera docta negat.
Nunc passim frenas lato fluitantia Cælo
Brachia, nunc scisso cortice ligna feris.
Planta vetus succum peregrino præstat alumno,
Nec sinis æstiua germen hiare siti.
Ipse humor nemori sic ancillatur amicè,
Vt Cane sub sicco larga tributa ferat.

Ter maximo potori.

201

Chia tibi rorant, stillat tibi Lesbia vitis,
Veientana fluunt, vua Falerna cadit.
Gemma pruinoso Mareotica colle liquescit,
Cacuba sorbentur; Nassica gutta perit.

Quid

Quin latum fundant nectar Balearica prela,
Et de Messano palmite missa bibis.
Setina arridit claro Vindemia succo,
At damnata tibi non placet ulla Dryas.

Ad
Lusorem.
202

Et pila & follis noto tibi luditur ictu.
Ac facilis vergi lubricus orbe trochus:
Aëreis humerum iaculis, dextramq; fatigas,
Lignea multiplici brachia dente moues.
Quin & Narcissi discum iacis arte magistra,
Nec te harpasta leuem puluerulenta latent.
Per te iam mendax ætas non Prothea fingat:
Mille adsunt lusus, omnia solus agis.

In
lasciuiam Cloës.
203

Non est, cur stupeas, Veneris si lusibus apta
Nuda lasciuit corpore sæpe Cloë:
Flora Quirinali non stat vestita Theatro;
Atque stolatus abest à meretrice pudor.

De Hercule.
204

Vidit vt Alciden Lyda inseruire Puellæ,
Ridenti has voces edidit ore Venus.
Cur se se indomitum iactat Tyrinthius Heros?
Alcidi Alcides est modò factus Amor.

De Baccho.
205

Enascens luci, Iouis arsit fulmine Bacchus;
Emoriens, potu fulminat ipse viros.

De

De sylua arboribus copiosissima.

206

Pastanum victura nemus tua sylua virescit,
Floret vbi Paphia myrthus amica Dea.
Hirtis stat folijs Abies, Berecynthia pallet
Buxus, & acrè rigent germina querna Iouis.
Castanea, & Platanus, Tiliaq; & Taxus, & Ornus,
Sacrisq; Alcidi Populus alba comis.
Glandifera crescunt fagi, subit athera Robur,
Et qua lucorum regna Cupressus habet.
Ilex fronde tumens, & Fraxinus vtilis hastis,
Victricesq; ambit cingere Palma comas.
Myrrha fluit guttas, celso stat vertice Pinus,
Et sterili bacca Palladis arbor onat.
Plurima quid referam? nisi non viridantia surgunt;
Arboreum populum prodiga Sylua parit.

In ebrium pluuia madentem.

207

Dum Baccho indulges, vrnas Iuno inuida versat;
Saua nouercales asperat ira minas.

Tumulus Scurræ.

208

Ars Circi petulans, procax voluptas,
Artus exagitans frequente lusu,
Formas corpora flectitans in omnes;
Latis nunc minitans labris hiatum,
Solem nunc oculis fugans retortis,
Pollens vel gladio Notos ferire,
Calum aut scindere iurgio minaci:
Plausus nobilium, foriq; pompa,
Qui soluit Curios, mouet Catones,
Longo Fabricios tenet cachinno,
Rugas explicat & Numa seueras:

Cui

Cui plaudunt Veneres, Cupidinesq;
Scenarum decus, & sonante fama
Ludorum pater, & ioci repertor;
Romæ deliciæ, sales Sebethi,
Ingens Ausonij dolor theatri,
Doctus Mimicus hac in Vrbe Protheus
Heu duro tegitur leuis sepulchro.
Defle Roma iocos; perit cachinnus.

De celeberrimo conuiuio.

209

Laomedonteo profugum de littore Regem
Excepit Libyco Punica mensa lare.
Dulichioq; seni remeanti è marmoris æstu
Obtulit Alcinoi prodiga dextra cibos.
At tu larga paras dum grandi obsonia fastu,
Non habet Alcinous, non dat Elisa dapes.

Ad Bacchum
de Paulo viro bibaci.

210

Bacche, tibi in Paulo semper domus ebria feruet,
Exundantq; mero liberiore fores.
Hic Sybaritarum tibi sunt conuiuia læta,
Et stat Chio epulum Pontificale cado.
Elucent gemini Soles, bacchansq; natanti
Tempestas animo sollicitata fremit.
Victorq; è madido Nyctileus hoste triumphat,
Viuere si credas, qui tumulatus obit.
Proh mira: in Semele paruus semel Euhyus arsit;
Ast hoc flammescis semper, Iacche, sinu.

In Afrum voracem.

211

Bino dente riget, tamen omnia deuorat Afer;
Afer qui fueras, es mihi factus Aper.

De

De
vino fumoso.
212
Dum largè bibo consulare vinum,
Prauè consuluit mihi Lyæus.

De
dono cyathorum.
213
Mittis Acon cyathos; cyathi mihi mille supersunt:
Vis, quod dulce sapit, mittere; mitte merum.

De horto amœno.
214
Dum mihi stant flores, & vitis textilis vmbra,
Et non occidua ductile murmur aquæ,
Et latè surgunt bifero pomaria partu:
Si laudo Alcinoi germina, malo mea.

De
philosopho ebrio.
215
Iam cultu dubium est, Sophiæ, an sacretur Iaccho;
Ogygio Cynicus cum velit esse c.do.

De luxu mensarum.
216
Verè ò prodigium nostro memorabile sæclo,
Dum dat lautitias prodiga cœna suas.
Vernus odorifero nudatur vertice Hymettus,
Hybla tuis veniunt vltima damna rosis.
Aëre non volucris, non lusitat æquore piscis,
Phæacum in syluis expoliantur opes.
Illum, qui Phario sic dissipat omnia luxu,
Non dare, sed potius perdere credo dapes.

Libidinosæ, & voracis
fœminæ tumulus.

217

Hic ieiuna cubat: cui iam fuit esca Cupido,
Ebrietas Genius, ingeniumq; Gula.

In cœnam Principis auari.

218

Dum gabata excurrunt; mixtaq; paropside lances
Apta cibis Pharijs aurea fulcra grauant.
Non stupeo, grandi quod lauta est munere mensa.
Sed citò posticis quod redit illa vijs.
Nec miror, centum steterit quod cœna ministris;
Miraclum hoc credam grandius, esca volat.

Ad viatorem.

219

Iam Cælo Titam radiorum fulmina vibrat,
Et cinefacta arens puluere anhelat humus.
Frondoso innitans viridis te murmure quercus,
Complexu vt foueat, brachia tendit amans.
Lenes è patula non absunt arbore Somni;
Molliter vt recubes, dulciter Vmbra vocat.

De gracili Genitrice.

220

Desine mirari, quod mus non monte creetur;
Incipe mirari, parturit vmbra viros.

De paupere
ob vini vsum extincto.

221

Incomptus, hærens dolio, amisit diem:
Ne fabulosum crede iam Cynicum senem,
Hic doliaris conditur Diogenes.

Ebrius

Ebrius.

222

Lumina cum Bacchus rubra mihi vite colorat,
Lux aeterna patet, nox tenebrosa fugit.
Orgia ne iactet mihi iam nocturna Cytheron;
Cum melius rutilet lux duplicata mero.

De viridario, cui Pulcher visus nomen.

223

Sunt iure à pulchro dicta haec viridaria visu,
Laxatur visus, dum tot amoena videt.
Alcinoi taceant bifero pomaria partu;
Aeternum hic pomis arbor onusta parit.
Quot tellus flores, quot fructus educat arbor,
Vt numerare labor, sic memorare decus.
Si Pomona vllis terrarum regnat in oris,
Hoc solum dices regna tenere solo.

Ad ebrium.

224

Nyctileum damnes, & Diuis amule viuas;
E' Caelo rorans sit tibi nectar Aqua.

Gelidum potanti.

225

Sideris aestiui radijs sitientibus ares,
Et vis Sithonia vina rigere niue.
Feruens dum cumulas aduersa caloribus arma,
Irritare sitim, non superare potes.

Eidem.

226

Vt tutè viuas, dum serues Solis ab aestu,
A niue poscis opem; quaris ab hoste fidem.

Ad N.
qui vasibus escarijs,
& poculorum formis studebat.

227

Dum mensa accumbis, cum det tibi tadia potus,
Atq; hebeti inuisus sordeat ore cibus;
Fercula quid Cereris fingis, quid pocula Bacchi?
Fercula vera fames, pocula vera sitis.

Epitaphium
ebrij.

228

Ebrius hac etiam biberem nunc vina sub Vrnas.
Nam gelido arescens marmore guttur hiat.
Non perij: nimio sed ne cor ardeat astu,
Temperat aterno me Libitina gelu.

Ad
intemperantem.

229

Dum grandia ausu feruido
Tentat iuuentus impotens,
Ne te ruenti pondere
Vis frangat expers consili.
Exastuantis pectoris
Motus rebelles comprime.
Nam, qui citatus flamine
Campos liquentis marmoris
Curru volanti praterit;
Et qui fuga se prapete,
Loris flagellans Castorem,
Pisa dat ardens puluere;
Clauoq; frenoq; inciti
Euris proteruis abstinent,
Lapsum ruentem temperant.

Poculo-

Poculorum amatori.

230

Flaua tibi arrident nitidis chryſendeta formis,
Aemula nauigijs cymbia longa placent.
Cantharus, & curuo ſurgunt carcheſia labro;
Atq; allaſcontes verſicolore nota.
Laudaturq; ſcyphus, iactuſq; thamiſius vndis,
Et per te ſumptu iam diatreta valent.
Ac Regum faſtu Perſis decocta caminis
Murrhea imaginibus pocula picta nitent.
Sed tibi cum vilis Bromius cratere tepeſcat,
Argumenta ſitis ſunt tua vaſa mihi.

De agro vberrimo Principis.

231

Ne ſtupeas, Tellus cur ſit tam prodiga rerum;
Nam Domini mores eſt imitata ſui.

Ebrij epitaphium.

232

Ebrius Iuo iacet: lachrymis decorate ſepulchrum;
Stillent potori dolia plena mero.
Preſſo langueſcat lugens vindemia Baccho,
Et ſparſis vuis amphora fracta gemat.
Nigranti circum Naxos natet humida nymbo;
Tmolus ſit tumulus: Ebrius Iuo iacet.

De poculis, & ferculis.

233

Pocula quid vino, dapibus quid vaſa requiris?
Arteq; Naturam ſollicitare ſtudes?
Ter centum te vaſa manent educta Sagunto,
Et quæ Niliaca ſunt fabrefacta manu.
Stat tibi Dædaleis tornatilis amphora formis,
Et phiala, & cyathus (vaſea pompa) nitent.

Laomedonteis epulis quæ nota fuerunt,
Et quæ iam populo cœna Latina dedit.
Immo, vt diuitias oculi tuearis in ictu,
Esse epulis merces vna lagena potest.
Quà stat gemma frequens, quà latè fulgurat aurũ,
Allicis arte sitim, conficis ore cibos.

In Annam meretricem
varijs ornatam gemmis.
234

Anna, lues hominum, stabuliq; & fornicis horror,
Liuida quæ putri stemmate membra notas.
Adstrictas digito seu prosit cernere gemmas;
Seu magè pendentes aure videre iuuet.
Chrysolitum iactas, sapphirũ, adamanta, pyropum;
Sed magis in vultu Gallica gemma nitet.

De
pretiosis Annæ inauribus.
235

Anna potens fastu, qualem Pharos æmula vidit,
Sat tibi gemmarum vix maris vnda parit.
Iactat in aure faces missus Beryllus ab Indo;
Sapphiri splendor, Sardonychisq; iubar.
Feruentiq; Adamas radiat tibi fortior igne:
Et magna auri emptum merce grauamen habes.
At pondus ne grande aurem diducere credas:
Aurum, plusquam aures, hoc onus, Anna, trahet.

Timet
criminum portenta.
236

Vir caueas; ausu grauiori crimina crescunt,
Et vulgus pœnas sollicitare studet.
Auri sacra fames, & iunctus Cypride Bacchus
Omnibus imperijs vltima fata ferunt.

Ad Filiam pulchram in morte Parentis.

237

Pulchra puella tui mœres dum morte Parentis,
Cordis verè ægri tristia signa dares.
Sed Dolor ipse arcet gemmantem à lumine fletum;
Delicias roseis odit habere genis.

In Vetulam incurrit.

238

Gressu dum repeto domum citato,
Deformi intuitu moror Licindæ;
Cui cedit senio Hectoris creatrix,
Curuo tergore, penduloq; labro
Socrus Nestoris, atq; Vlyssis altrix;
Soror Memnonis ore nigricanti,
Et tetra facie Phari Sybilla:
Ne felix adeam sacros Penates,
Cornix rumpit iter malè ominosa.

De puella pulchra.

239

Edita vix terris, tamen omnia lumine comples;
Et, tenui quamuis fulgure, corda cremas.
Sic, iuueni incomptus radio, Sol æthere fulsit;
Atq; rudi nituit Cynthia prima face.

Rubicundus pallidam amat.

240

Verè est mirus Amor: glaciei fœdera seruat
Ignis, & à niuibus discit amare calor.

Vini hilaritas.

241

Fluentis absq; Iacchi
Colore purpurante,

Caliginosa tetro
Aerumna torpet ore.
Mœrens Senecta vultu
Vt rideat nitente,
Vitis feraciores
Da lachrymas racemis;
Dulci ebriosa nymbo
Nectar pluas Deorum.
Omnis calente Baccho
Perit sopita Cura:
Geluq; tristis Aetas
Naxi irrigata rore
Florem induit Iuuentæ.

In Rufum maximum liguritorem.

242

Accepto ab atauis, Rufe, non parcis bono,
Et rem paterni grauiter oblimas Laris;
Obsoniorum dum liguritor nequam
Possessionem prodiga tondes manu,
Censumq; turbas, & facultates teris;
Epulisq; largis omne patrimonium
(Veneri indecenter obsequens) pilam facis:
Adeo celeriter, & rotundè deuoras.

Veri redeunti festiuum carmen.

243

Iam Noti furentis ira floribus pepulit decus.
Et breues Soles inerti frigore arctauit Caper.
Nubibus negat latentes algor Arctous dies,
Occidit volucris aëre, interit stabulis pecus,
Thracio flatu sonantes asperat fluctus hyems.
Portubus sicca resîdunt carbasis fessis rates,
Pleiadesq; vndis repressis contrahunt glacie salū.
Alpium niuosa terga squallido vultu rigent.
Solibus durant pruinæ Tauri inoffensa iugo,

Ster-

Sternitur nudata sylua frondibus, densam coit
In niuem tellus, & agris impotens lassis iacet,
Myrteo Ver crine florens gemmeas alas quate.
Acrè debacchantis ira mugit Aeolia domus,
Nigricans Cælum recondit fronte nymbosa diem,
Turbinesq; aër niuales algido è sinu rotat.
Cuspides armat trisulcas igneum telum Iouis.
Nubibusq; altè solutis vnda populatur iugum.
Et ruunt voluta saxa cum gregum attonito duce,
Cærulo visura campo naufragas iras maris;
Fluctibus raucis renitens miscet Aegeum minas,
Turbidisq; horrens arenis Glaucus in Cælũ tumet,
At minis in se refractis irritas iras dolet;
Et cadens orbem trementem mole spumãti quatit,
Myrteo Ver crine florens gemmeas alas quate.
Cypria pictum tribunal iam Rosa attollat Dea,
Gratiis iam liliorum molliter surgat thorus.
Hybla odoris florulentum gemmulis ditet solum.
Idaliq; inter nitentes euolet violas Amor.
Myrtus & gazas flagellis nutriat virides suis;
Virgines Aura papillis humidum tollant peplum,
Et maritali per agros imbre fœcundent humum.
Blanditer Phœbe serenis noctibus rorem pluat,
Fida plantis, cara gemmis, grata campi purpuris,
Atq; amãs guttis liquescat totus in Venerẽ Polus.
Myrteo Ver crine florens gemmeas alas quate.
Cærula natent carinæ, & spumeo ludant globo;
Glauca Doris dulcè ridens temperet Fauonio
Aequor, & rubens corallijs scopulus micet.
Feriatus non sit armis languidus Gnidi Puer,
Nympha nec pallens roseti marcido thalamo cubet.
Tota Nox niteat Dioni peruigil musicis notis,
Vestiant luci sonantes arborum vmbrosas comas;
Adsonans puella Terei pòpulo blandè canat;
Educans campos Voluptas osculis sobolem beet.
Myrteo Ver crine florens gemmeas alas quate.

Non Ceres, nec Bacchus absit; ast Amoris osculis
Suauiatum Chloris edat germen è terra sinu :
Ebrijs spirent ocellis Risus , & tener Iocus.
Cypridi qualis nitenti plausit Aegai cohors,
Numiniq; dulcè nato Margaritis Indicis
Vincta crines omne gemmis strauit insuetis mare.
Pes leuis natos in vsum gaudij ducat choros;
In diem viuas lucernas turba bacchantũ trahat;
Vina pralis è Falernis arida eruant labra;
More Thracũ madida bella gerere iã liceat scyphis
Proluantq; se ora plenis poculis ; & largè hians
Nassico vino referta dolia exsiccet sitis.
Myrteo Ver crine florens gemmeas alas quate.
Creticum in fluctum proteruis iam metũ ventis dare
Nos iuuet, Pindiq; laurifer vertex sonet :
Virginum canente plectro cuncta festiuis ouent
Motibus, superba pacis incruenta nuncia
Regnet Iris imperatrix : Tybris vndarum agmina
Leniter voluens amica, lusitet blando ioco ,
Aemulatus axe plausus, & chorèas siderum.
Quisq; libans vina pateris aureis Genio offerat;
Cypriaq; inter roseta, & palmites inter graues
Libero, latè vaporent thura. Faustitas orbẽ beet.
Myrteo Ver crine florens gemmeas alas quate.

Secunda Frons

IANI

Heroica.

De Sanctissimo
VRBANO VIII. Pontif. Max.

I



Anta est Vrbano Cyrrhai copia fontis,
Vt minor à Chio gutture vena fluat.
Vate hoc, mouissent meliorem Etheocla Theba;
Pompeius cuperet Casaris arma pati.
Carthago felix Latialia iura subiret,
Atq; hoc Aeneas mallet ab ore cuni.
Quin etiam in nostras remeet si Pindarus oras,
Vrbani vellet Pindarus ore loqui.

Ad Vrbem Romam.

2

Vndarum, terraq; potens, Vrbs amula Calo,
Nil te iam maius Phœbus ab axe videt.
Inuidia maior tu Regum nomina claras,
Et faciles Superos in tua vota trahis.
Per te centeno lucet iam stemmate Calum,
Et zona obliqua est pondere lassa tuo.
Quin septimgemino suffulcis vertice Olympum,
Cultu stellarum stas radiata Polo.
Iam famula lambunt Aquila tua frana iugales,
Et cognata Deo prole beata tumes.
Sic maior crescis, turgesq; in semina laudum,
Barbaricis damnis facta superba nites.
Indomito fastu regnum tibi terminat æther,
Aequoribusq; tuis sidera fessa cubant.
Arcano per te Nilus se fonte recludit,
Littoribusq; nouis pinea texta volant.
Maura cohors ira frustra bacchata procaci,
Coniurata Vrbem vertere, fulmen agit.
Intorques radijs Tarpeia è rupe trisulcis
Tela, pharetratos edomitura Getas.

Ferratos ad frana Notos premis impigra terris,
Ad currum domitus tristè remugit Arabs.
Sensistis Daci, vt triplici stent pectora ferro;
Ponere disce tuas, Mars truculente, faces.
Turbine sic frendens violento barbarus Auster,
Si pugnat Boreas, in mare lassus obit.
Te Delos, te Creta canit, te Cyclades orant,
Et Phrygius Corybas in tua sacra venit.
I pugnax, sicco quà grandinat axe Bootes,
I victrix, Garamas quà sitibundus hiat.

Ad
Carolum V.
Imperatorem.
3

Aequus Minoa leges dat Iupiter Vrbi,
Et Capitolino fulgura colle ciet.
Fingentem tonitru facibus Salmonea damnat,
Thebanumq; Ducem fulminis igne domat.
Arduus aquauit Titanum corpora terris,
Plena Gyganteo prata cruore dedit.
Viribus at Casar pollens, in pralia natus,
Ius ponis terris, aquora lege premis.
Cymbri in te veteris Marij timuere cohortes,
Gallia par niuibus palluit ipsa suis.
Africa iam gladios patitur, Germania fasces,
Nec satis est tumulis Italis ora suis.
Casareis non ipse Tonans nunc sufficit actis;
Pro Ioue iam terris, Carole, regna tenes.

De
Cæsare,
& Pompeio.
4

Tractat opes Casar, iactat Pompeius honores:
Sors vna est regni, non capit Aula duos.

De summo
Pontifice.

5

Vt summo in artis vertice
Molitor Orbis Dædali
Mentes coërcet nutibus,
Sic, corda frænans legibus,
Regnator Vrbis Romulæ
Virtute pollet Cælica.
Temnit pericla marmoris,
Terræ labores despicit
Flexu Malæ innoxiis.
Circi periclis integer.
Feliciori nomine,
Præstantiori munere
Et Typhis est, & Myrtilus.

Ad optimum
Vrbis Rectorem.

6

Si vecors alibi Sophia penetralia turbat,
Et fert insanis aspera iura foris.
Tu Latio regnas, puri seruator honesti;
Dat Sophiam Aurelius, dat tibi Iura Numa.

Viro probo.

7

Integer es vitæ, nullus quo iustior vnquam
Vixit, maiori nec pietate viget.
Forti despiceres animo tormenta Tyranni,
Nec te terrerent fulmina hiulca Iouis.
Si Nereum euertit Boreas, si labitur Orbis,
Impauidum feriet magna ruina caput.
Moribus astra meres; in te sunt aurea sæcla,
Et per te nunquam Virgo reliquit humum.

De Aenea, & Romulo.

8

Eximit Aneas se flamma, & Romulus unda:
Troia cadit facibus, Roma resurgit aquis.

Homini seuero.

9

Non das in lusum mores; at mente rigescis,
Suspendisq; tuo cuncta supercilio.
Atq; oris speciem grauiori pondere rerum
Componens, curis pasceris ipse tuis.
Dictis castigas iuuenilia gesta, minaqi
Ore tumenti Cephei te fera stella dedit.

Optimo Principi.

10

Te decorat virtus, animus te pulchrior ornat,
Te sincera boni prodiga vena beat.
Nam nouus in Ciues Decius pietate nitescis,
Moribus es Drusus, Nerua quiete viges.

De Crœso, & Polycrate.

11

Quis magis est Crœso, vel quis Polycrate beatus?
Quis magis est Crœso, vel Polycrate miser?

In Cælium.

12

Arcas diuitijs augeri Celius optat;
Maior, non melior Celius esse cupit.

De Monarchijs.

13

Decrepita interdum Mortali traditur atas;
Decrepita Imperijs nulla senecta datur.

In Ponte Miluio detecta est Catilinæ coniuratio.

14

Tybridis inuicti quà Miluius imminet vndis,
Transire Allobroges cur Catilina sinis?
Regnandi occultas detexit Miluius artes;
Linceo Miluus lumine cuncta videt.

De Tyranno.

15

In terris credat cum nil mortale Tyrannus,
Regna sibi Cælum, se putat esse Deum.

Ad hominem de opibus.

16

Ludibrium Sortis cum te Natura crearet,
Nudusq; in nudam sis abiturus humum;
Sors magna est, gazis onerare nitentibus arcas;
Maior scire vti, maxima habere nihil.

De Principe.

17

Armis qui regnat, virtutibus imbuat ostrum;
Et sit, qui dextra est Romulus, ore Cato.

Ad Romam de Tadæo Barberino, dum Ecclesiasticæ ditionis confinia tueretur.

18

Nunc iuuat priscas iterare pugnas,
Postibus demi gladios auorum,
Nubilam crista fluitante in auras
Surgere frontem.
Ferreis crines galeis reuinci
Sit decus; victrix rigida inter arma
Roma Tadæo reparare noscit
Auspice regnum.

Nunc comas ergo sacra laurus ornet;
Patrius Nato benè militanti
Hæreat thorax, & auita clarent
Tela nepotes.
Hostis in bellum violentus ardet,
Martio nubes feriuntur ære,
Et minax acres equitum cateruæ
Funus anhelant.
Roma nil horret ruitura inani
Fulmina afflatu, & strepitum tubarum;
Quà, pauens cladem, fluitat minori
Mincius unda.
Non, Mari, te te reuocent Sicambri;
Paule, te spernant Macedum phalanges;
Neuè te Parthis rediuiue quærat
Crasse Quirinus.
Magne, te condat Pharium sepulchrum;
Bella Thadæus satis vnus armat,
Pars adhuc Orbi metuenda restat
Digna trophæis.
Exue antiquam, Latium, senectam;
Atq; maiori celebris sub ausu
Roma desuetos reuoca triumphos,
Principe dignos.
Prisca Romanis remea Potestas;
Et minis auum renoua subactis,
Ductor inuictis tibi Barberinus
Fulgurat armis.

De
Sapiente,
&
Principe.
19

Diuerso Sapiens, & Princeps munere regnant;
Imperat hic alijs, imperat ille sibi.

Aquæ.

Aquæductuum Romanorum celsitudo.

20

Vt Nymphæ epotent pendentes aëre riuos,
Naiadum tergo Dædala penna datur.

De Cæsare Orbis domitore.

21

Magnos magna decent, fortesq; ingentia patrant,
Et virtus terris non nisi summa probat.
Olim Oriens cecidit Pellæo Rege subactus,
Nunc est Cæsarea subdita Terra manu.

Ad Cæsarem extinctum.

22.

Cum facta Vrbs esset legumq; hominumq; sepulchrũ,
Iurè tibi, Cæsar, Roma sepulchra dedit.

In miserum iactantem
genus, & titulos.

23

Vili sorte grauis, claro te sanguine natum
Iactas. Hectoreæ lumina summa domus.
Fortis ab Herculeo deducis germina fonte,
Et famam à veteri Deucalione trahis.
Vndiq; Cæsareæ tibi complent atria ceræ,
Aerea marmoreo stemmata poste sonant.
Bellorum innumeris spoliȷs tibi tecta laborant,
Et titulis altè surgit onusta domus.
At tu, magnè iaces. Sic celso affinis Olympo,
Ipsa suo Tellus pondere pressa iacet.

De Remi fratricidio.

24

Roma Remi maduit, sed Abelis sanguine Mundus;
Par Vrbi, atq; Orbi Sors sua fata dedit.

Troia-

Troianum bellum
cera expressum.

25

Hanc ceram, Siculis quam misit collibus Hybla,
Asperat in pugnas ingeniosa manus.
Et subiecta animo mortis discrimina prodit,
Queis iacuit veteri Troia sepulta face.
Hic Cælum vmbratur telis, ibi fulgurat ensis;
Hac gemitus reboant, hac tuba parte tonat.
Atq; legi hæc memori cum possint omnia mente,
Hoc etiam sæclo scribere cera solet.

De eadem.

26

Ipsi funestum Morti incussura timorem
Iliacam pugnam bellica cera notat.
Purpurat hinc sanie, riget inde cadauere tellus;
Vulcanusq; rogo liberiore furit.
Et quanquam cera sit circumfusa tabella
Nè Mors officiat sanguinolenta viris.
Non iuuat Hybleo condiri corpora succo;
Ceratisq; alis ipsa sagitta nocet.

Mulieri ambitiosæ.

27

Tu, qualis Pharij tumuit Regina Canopi,
Diuitijs turges ambitiosa tuis.
Eoæ conchis per te spoliantur arenæ,
Sidonioq; nitet purpura nulla mari.
Flauus gemmifero tibi seruit lumine Ganges,
Hebrum fronte tenes, pendet ab aure Tagus.
Et grauè sic graderis census induta parentum,
Vt citius gressus acceleraret Athos.
Te leuius nil credo tamen, hoc pondere onusta;
Cum leuè, tot census pondera ferre, putes.

N.N.

N. N.
Eminentiss. Principi Card. Columnæ philosophicarum disceptationum certamen sacrat.

28

Pallas Latina casside nobilis
Alto Columnæ robore præpotens
Depræliantes in cateruas
Laurigero ciet arma Templo.
Sacraq; ab ara Delphica præparans
Menti eruditæ præmia frontium,
Iras in hostiles, decoris
Pectora vulneribus lacessit.
Nixa huic Columnæ iam Dea concipit
Dignas Olympi germine adoreas;
Et fausta Mauors litterato
Ingenij citat arma plausu.
Clangor tubarum doctiloquum ciet
Longè æstuanti murmure classicum,
Et dulcè Tybris, Rex aquarum,
Blanda tonat violentus arma.
Romana virtus nescia funeris
Vires vetustas mentibus ingerit,
Et corda felici periclo
Asperat in Sophiæ tumultu.
Sors in Columnam ludere pertinax
Stantem veretur; Marte & inutili
Decus Latinorum elaborat
Funereis numerare fastis.
Vano superbit robore. Sic hyems
Septena Nili turbat inaniter
Læto agmine vndarum tumescens
Regna tridentiferi Tonantis.
Iam sueta ponto vincere Sarmatas,
Iam clara terris sternere Barbaros,

Ma-

Mauortis est robur Columna,
Est columen Sophiæ Columna.

De Patientiæ vi.

29

Si vis est animi patiens, Sors mollis hebescit,
Et longè siccis auolat ipsa genis.
Fortius obdura, & perfer melioribus ausis;
Sitq; tibi summum, sustinuisse, decus.
Concutit æquoream tempestas irrita cautem,
Et clauam Alcidis Sors pauefacta fugit.

De Henrico IV. bellatore
ad Pictorem.

30

Si cupis Henrici, telis, animare figuram,
Dum Martem exagitans bella tonare solet.
Oceani ripis latè resonantibus, hosti
Horrorem intuiens, sanguine fœdet aquas.
Illi ensis, media qualis sub nocte Cometes
Sceptris damna parans, prodigialè micet.
Stet minimum conis, radijs det fulgura thorax,
Nare vomat fumum, luceq; flammet equus.
Felix sit linum, quod tanto Heroë superbit:
Solum est Rex Pellæ nobile Apellis opus.

Mors Neronis.

31

Ipse sibi gemino guttur ferit improbus ictu:
Carnifice haud alio debet obire Nero.

In ambitiosum, qui silentio
se prudentem simulabat.

32

Ornamenta alijs sint ipsa silentia, nunquam
Pœniteat, medio conticuisse foro.

Dum

Dum tu mute siles, in te spes garrit inanis.
Nec mentem tacita fruge disertus alis.
Ambitionis amans, tibi nulla silentia prosunt;
Arcano vocem murmure sensus habet.

Felici N.
nobili, & sapienti.

33

Virtutis aureo sidere fulgidus,
Et clarè auito sanguine nobilis
Nitescis, ò Felix, in æuum
Assiduam pariture lucem.
Sic & micanti gemmifer alueo
Ganges renidet, sic Tagus aurifer
Phœbo laboranti recludit
Hesperiæ rutilantis oras.
Per te refulget iam titulis domus,
Ciensq; fortis classica Romulus
Martis nocentes per iras
Arma parat metuenda Medis.
Quà vasta summis nubibus erigit
Fastigiato vertice Pyramis
Cauri furentes in iras
Incolumi monumenta nisu,
Nilus vetustis è latebris caput
Tollit, remoti conscius ætheris,
Origo Nympharum superba,
Et laticum generosus Author.
Cum Ver resoluit verticibus niues,
Fluctum minori ripa tenet sinu;
At prata dum Titan hiulcat,
Regna maris violentus vrget.
Quanquam recedant nubila, fertilis
Ab amne tellus est sibi Iupiter,
Bacchatur exundans, & alnis
Frugiferum resonat nouale.

Ni-

Nilus sub alto Sole feracior
Spernit diei torrida fulgura,
Canicula desauientis
Aestiferas domiturus iras.
Vbiq; molles siccat aquis agros,
Vt solus agris flumina suppetat;
Sæuoq; turgescens Leone
In pelagus pelagus volutat.
Superbienti gurgite belliger
Armenta in æquor cum stabulis trahit,
Atq; ore septeno tumescens
Cæruleum resonat triumphum.
Sic & vetusta nobilis à domo
Te Fama clarum tollit in æthera;
Et gesta maiorum perennat
Marte potens animosa Virtus.

Ad
eundem.
34

Tu magnum ducis proauorum à sanguine nomen,
Et procerum radiant stemmata clara tibi,
Longa ætate potes pictos ostendere vultus,
Maiorumq; beat te numerosus honor.
Non tamen hoc ingens æquatur nomine Virtus,
Ingenium maius nobilitate viget.
Augustis laribus Virtus augustior exit;
Et vires famulas Ars generosa premit.

Maximo
Principi.
35

Subdita fama tibi plaudit, tibi purpura seruit;
Ancillantur opes, & veneratur honos.
Concipiant alij sobolem, quæ seruiat Orbi:
Qui regnent Orbi, tu generare potes.

Ne-

Nero post victoriam in Matrem sæuit.

36

Pollens Marte Nero prædam exportauit ab hoste.
Victricesq; Aquilas in Iouis arce locat.
Mox furit in Matrem, & patitur contraria fata:
Dum vicit, mentis perdidit imperium.

De recenti Roma.

37

Roma iocos damnans, sacro sub Præside gaudet,
Quod non Elæo puluere anhelet equus.
Aut sua mentitis stipentur compita Diuis;
Fractusq; Augustis templa vaporet Arabs.
Aurea nec scæna furijs ardescat Orestes,
Vel dent ludentes Amphitheatra neces.
Nec Dido Phrygios irritet sanguine Manes,
Aut Agamemnonia cæde calescat humus.
Certauit iam Roma iocis, raptare Sabinas;
Irrita si lusit, seria tota viget.

In Natalem
magni Etruriæ Principis.

38

Etrusci Soboles Iouis,
Quæ felix oreris, nescia fulminum;
Cui mater Themis altera,
Regiq; Emathio par Genitor fuit.
In cunis nouus Hercules,
Assuescas hilari dicier omine.
Per te prodiga munerum
Fruges sponte suas Terra dat vberes.
Quercus glandifera iugis
Sudant aërijs mella liquentia;
Viuis picta coloribus
Vua immixta nitet sentibus asperis;

Mit-

Mittit cynnama fertilis ,
Qui natus rigidis vepribus est ager .
Exul dira Necessitas
Iam furua repetit regna Proserpina .
Arcetur Scelus impium ,
Alatoq; fugax Culpa volat pede.
Agna en fœdifragis Lupis
Iungit tuta dolis non pauidum latus ;
Cognatoq; specu en Ouis
Prensat Caucaseis vbera Tygribus .
Pompis Flora tumet suis ,
Et lauro virides Arnus habet comas .
Insolito rigeant metu
Iam Libya ardentis pallida littora;
Et mitis famularia
Iam seruis niuibus det Boreas iuga.

Principi religioso.

39

Non per te rigidi narretur gloria Martis,
Sed votiua pio iam litet ara Deo.
Nec tibi thura Duces , nec sint tibi vota cohortes;
Vera triumphorum laurea mitis honor .

Aliud.

40

Clemens belligero denuda hastilia ferro;
Est Regum virtus vnica, pace frui.

De Theone summæ proceritatis viro.

41

Sic vasta se mole Theon dilatat in auras,
Vt claro aspectum subtrahat ipse Polo .
Adstet si lateri, non me quatit Indicus Eurus,
Nec, comite hoc, Clarius fulgurat igne nitor.

Nil

Nil mihi Atlantæos opus est penetrare recessus.
Celsa hac mole Theon est mihi magnus Atlas.
Geryon Hesperijs mihi sit iam fabula terris,
Non capita, ast illi corpora trina putes.
Vertice transgreditur nubes, velut alter Olympus,
Antæo hoc caderet clauiger ipse Deus,

De Barberino summo Pontifice.

42

Eligit Halcyone glacialia tempora brumæ,
Vt soboli cunas Syrte rigente paret.
At dum regnat Apis, Ver floribus arua colorat,
Nec gelidi horroris flamina acerba rigent.
Halcyone hybernat breuiter testata serenum:
Felici semper tempore vernat Apis.

Contra classicum apparatum Turcarum.

43

In nos Cyaneæ, ratibus dum Thracia pugnat,
Vndis belligeris hostica terga mouent.
Nereo agitata sonant latè Centaurica saxa,
Vix Thetis gremio castra abiegna tenet.
At vires tu sume, Cohors iam debita Cælo;
Nec Nili, aut Libyæ monstra proterua time.
Si dabit arma Polus, frustra latrabit Anubis;
Merget arena Iouem, si dabit arma Polus.

Romæ Deo sacræ.

44

Roma, tuo iactas quid pulsum Marte Niphatem?
Quid fractum memoras ense rotante Getam?
Laus tibi nulla, trahi vinctum post terga Iugurthã.
Et Latia indomitis ponere iura Scythis.
Fabula sunt casæ ripa Gangetide turmæ,
Et Parthus, versis vincere doctus equis.

Fa-

Vana triumphatis resonent Capitolia Pœnis,
Et Nilus, fontis nescius ipse sui.
Cum te perdiderint fallaci Numina ritu,
Non nisi victa Deo, vincere Roma potes.

Ad Illustriss. Fenzonium de Iustitiæ cultu.

45

Fenzoni, amicis tempora frondibus
Per te reuincit candida Veritas,
Lateq; fumantes per aras
Relligio dominatur Orbi,
Astræa diri nescia criminis,
Intaminatis clara nitoribus,
Quæ tuta se credens Olympo
Deseruit fugitiua terras,
Remissa ab astris aërias plagas
Velociori verberat impetu;
Turbasq; bacchantes nocentum
Imperio meliore frænat.
Frustrà videmus funereum Scinin,
Qui tristè ramos laxet in aëra,
Et noxæ inhærentem Procusten
Sanguineis inhiare culpis.
Vis omnis, & Fraus ingenio potens
Dirè scelestos perdidit impetus,
Et cessit Hircanos in agros
Exilium subitura Culpa.
Sic purus olim Iustitiæ color
Lustrauit oras Orbis inhospitas,
Dum monstra fregit sæuientum
Herculeo domitore Tellus.
Per te, sereni iam soboles Poli,
Pax æstuantes terminat impetus,
Et rupe Tarpeia renidens
Iura Themis meliora pandit.

Iam

Iam surgit astris splendidior dies,
Aetasq; terris aurea redditur,
Astraa dum vindex reorum
Lethiferos mouet arma in hostes.
Et quà vetustis se Capitolium
Clarum triumphis tollit in atherà
Per te Quirini iam Nepotes
Iustitia sacra templa adorant.

De Roma
à Nerone combusta.

46

Heu fit Roma cinis furijs exusta Neronis;
Magnam Vrbem, & nullam prospicit vna dies.

Ad
Liberalitatem.

47

Mox reditura pijs, terras Astraa reliquit;
Sed tu, Diua, Polum non reditura petis.

Principi
in mulierum confessu ocianti.

48

Tela alibi irarum minitans, hic ludis amator,
Atq; puellari lumine clare nites.
Ira alios ardet, sed sunt tua sidera pacis:
In terris, etiam Iupiter astra tenes.

Ferdinando Magno Etruriæ Duci
de Mediceis Pontificibus.

49

Ferdinande, tui meritum iam sanguinis auges,
Sceptraq; magnanimis Regibus aqua mones.
Iurè tuis ergo sacram dat Roma tyaram:
Vno monte trahunt Tybris, & Arnus aquas.

Nobilis,
qui rustico erat aspectu.

50

Non ego, quod fusca tingam rubigine vultum,
Ignota duco nobilitate genus.
Verax est titulus, quod sit mihi Tantalus anthor,
Et quod Dardanio sanguine notus eam.
Nobilitas clarè fumosa in imagine lucet:
Lumen ab Aurora Memnonis horror habet.

De Pallante
Claudij liberto.

51

Tullius antiquo damnauit tempore mores;
Crimina at vlterior dat grauiora dies.
Virq; è fæce domus, ferratus verna catasta
Ius habet; &, seruo Principe, sceptra gerit.

Homini
varia loca incolenti.

52

Colle Palatino tibi sedes atria seruat,
Et, iuga quà tollit Cælius, ade manes.
Pompei hinc molem, hinc Vestæ sacraria cernis;
Hinc Cybelis templum prospicis, inde Iouis.
Incolis Arctoi turrita Palatia Pinci,
Celsaq; Ianiculi tergore tecta subis.
Dum sic diuersis habitas mutabilis oris,
Vasta tibi, vt volucri, iam domus Orbis erit.

In mortem Collalti
strenui Ducis.

63

Collalti ad funus perierunt fulmina belli;
Mauorti in terris non habet, vnde tonet.

Vrbano VIII. Pontif. Max.

54

Quicquid habet Pindus, quicquid Themis alta recō-
Quodq; Astraa aqua librat amica manu. (dit
Aeternis chartis quod tradit celsa Stagira,
Tu potis es docto continuisse sinu.
Fatidica attonitis sileant penetralia Delphis,
Solùm est oraclis Roma superba tuis.

Militi benè iaculanti.

55

Tradit sagittas Nuba areniuagus tibi,
Arundine omnes Cretidum vincis manus,
Per te Cydonum nunciant hastæ minas;
Threissa buxus plumeis alis volat,
Tua dextra turmas fraxino Lycia petit:
Mirante Partho tela iacularis fugax.

In summum Principem.

56

Quid regna in Nereum, quid famā extendis in astra?
Et latè Mundum sub ditione tenes?
Iam velles Gadibus Bactros iunxisse remotis,
Nec tibi sat terris Romula sceptra forent.
Latiùs extendes vasti confinia regni,
Si portenta animi liberiora domes.
Vrna Rex Pella iacuit, Byrsamq; superbam
Acri seruitio Tempus herile premit.

Viro doctissimo serò Purpuram adepto

57

Sidereis alter gemmis trabeatus oberret,
Et diti clarum stemmate syrma gerat,
Lana alter niteat, quam vector nutrijt Helles,
Et trahat è tota Doride auarus opes.

Sunt plures, queis fulua Tyri citò purpurat vnda,
Sera tibi solùm purpura digna rubet.

Philippo III. Hispaniarum Regi.

58

Quod venit Augustis proauis tua Regia proles,
Nunc opus haud fuerit, commemorare mihi.
Phœbeas inter lauros meliora renident
Ipsis Semideis ora; Philippe, tibi.
Sunt lusus fracta victo è Garamante sagitta,
Estq; tibi Regum barbara præda iocus.
Oceanus pelagi Domino cunabula præbet;
Et tellus Vrbes in tua regna parit.

Vrbano VIII. cuius Insigne tribus clarescit Apibus.

59

O' ter clare Apibus, quarum iam munere Nestor
Ter docto eloquium dulcius ore dabat.
Cum tua Nestoreo sint labra fluentia melle,
Stet tibi Nestorei terna senecta Patris.

De Roma victa.

61

Euersa Atridis non fundant Pergama questum,
Nec Duce Pellæo ploret abacta Tyrus.
Marte domans alios, à se iacet obruta Roma;
Non grauiora vnquam Sors documenta dedit.

Ad Ezellinum Tyrannum.

61

Tonantis Ezellinus euertens sacra,
Ira furente in germen humanum tonat:
Cruore fœdat Ciuico Euganeas domos,
Et decolorat cæde fœminea lares,
Grauiterq; lentis enecat pœnis senes,
Aeuiq; in aditu præripit pueris diem.

Legum sepulchrum luridum; vt frangat fidem,
Fœderis amicus perfidi, scelerum parens.
Magis inquinatus fœtido Augia specu.
Sauas Perilli tristè subsannans faces,
Procuste peior Attico, & nequior Scini:
Iam, Domitiane, templa Pietatis meres.

Ad Capitolium de equo M. Aurelij Pacificatoris;
62
Iam Liberator Anser, & nunc est Equus
Stabilis Quietis mole Fundator tibi.
Victum Imperantis Flauij nomen sile.

De Palatio Emin. Francisci Card. Barberini.
63
Iam fit Roma domus; Veium ne Romule adito,
Cum Veium hac possit continuisse domus.

De bibliotheca Palatij Barberini.
64
Barbara Pyramidum siluit miracula Memphis,
Flauius vt Ludis apta Theatra dedit.
Barbara Pyramidum renouet miracula Roma;
Franciscus Sophia clara Theatra locat.

Dido acus artificio expressa.
65
Tam mirè, ò Lali, subeuntem funus Elisam
Fingit acus, mœstos vt trahat illa sonos.
Cumq; legant omnes verè monimenta doloris,
Dicas. Hoc lino scribit Aracnis acus.

Magno Principi.
66
Artifici simulante manu stat adorea laudum,
O' Princeps, titulis ambitiosa tuis.

Vita Corinthiacis signis afflata superbit.
Saxisq; æternis est tua fama loquax.

Ad Romanum
Hannibalis victorem.

67

Afra in te calybum frustra fert dextera venas.
Et syluis spoliat Punica tesqua suis.
Qui Libyco ter Marte iaces, nunc Romule vincis:
Martem Romanos quis genuisse neget?

De
Vrbani VIII.
carminibus,

68

Cycnea clarus non voce superbiat Andes.
Plausu nec tumeat Meonis ora suo.
Vt cithara ad cantus æternet nomina Regum,
Atq; tuba resonet bella tonata Ioue,
Sacros Maphæi latices ipse haurit Apollo;
Et Barberino fonte Camœna bibit.

Romæ
bello Cæsaris,
& Pompei profligatæ.

69

Non potuisti olim Libitina arcere sagittas,
Nec sine fine Tonans Martia sceptra dedit.
Roma æterna iace; perijsti: Oracla silete,
Cum Genero bellans perdidit omne Socer.

Syxto V.
de fonte Aquæ Felicis.

70

Dum Prænestina molem sic construis vnda,
Dignior hoc vellet surgere fonte Tybris.

Ex-

Excellentiſs. Principi Philippo Columnæ
Magno Comeſtabili Regni Neap.
N.N.
Iuriſprudentiæ pugnam dicat.

71

Hoſtium turmas domitura Virtus
Aeream vibrat clypeata lucem;
Et tonans alto iaculatur axe
Romulus ignes.
Palladi æternas paritura lauros
Arma Romanum quatiunt theatrum,
Et cauis ictu geminata ab antris
Bellat Enyo.
Obſtrepens acri glacialis vnda
Tybris armorum graue fulmen horret,
Et pauefcenti vitrea rigeſcunt
Fronte capilli.
At Columnenſi famulata dextra,
Vt cadat torto grauis Error angue,
En Palatinas operoſa Lauros
Fata miniſtrant.
Flamma ſat dextra micuit Quirini,
Ira ſat fortis tonuit Mineruæ;
Sat Meduſæi pauefecit Vrbem
Oris hiatus.
Nata vulgandis Latij trophæis
Martia victrix ſonat ære Fama,
Et triumphato domitrix ab auo
Aethera tranat.
Ad Quirinalis radios Columnæ
En fugam cœci rapiunt Timores,
Nec diem teſtem patitur probroſis
Otium in vmbris.
Iam recedentes Duce ſub Philippo
Ingemit turmas periturus Error;

Et Columnensi sibi plaudit hasta
Romula Pallas.

Victori atrociter sæuienti.

72

Per cædes, perq; arma caue sperare triumphos.
Ah cordis crimen tam furiale time.
Lethali clam vita ruit properata ruina;
Nullus sub vario Sole perennis honor.
Iam laurus peritura tibi stat fronte fugaci;
Plorantem risum gaudia iniqua mouent.

Nobili intemperanti.

73

Quid veteres ceras petis inconsultus auorum,
Plenaq; fumosis atria imaginibus?
Stet melior virtus animo, quæ nescia vinci
Per iuga inoffenso tendit in astra pede.
Ictibus aduersis explorat sedula vires,
Et gaudet placitis abstinuisse suis.

De Pace.

74

Aerea stat cassis cristis inuersa supinis
E miti volucres progenitura sinu.
Marteq; damnato sociant in amore columbas
Læta maritali ferrea Scuta fide.
At placida interea ne fidas Victor oliuæ;
Bellorum facili pallet oliua metu.

Ad Vrbem Capuam de Hannibale.

75

Cum rigor Alpinus niuibus, gladioq; Gradiuus
Pœnum non possent exsuperare Ducem.
Tu, Capua, Hannibalem domuisti Cypride: multum
Debet deliciis Martia Roma tuis.

De

De
summo
Pontifice.
76

Qui Romæ est columen potens,
Dum curis studet imperi,
Artes pectoris anxij
Duro præsidio fouet.
Sic Ver, syrmate floreo;
Vt gemmis vireat suis,
Perfert Sithonias niues.
Nauta, vt gurgite Punico
Iungat littora Bosphori,
Aegaas hyemes subit.
Multis nocte laboribus
Vmbris obsitus angitur,
Vt Solem pariat, Dies.

De
Romana potentia.
77

Romano quicquid regno dedit inclyta Virtus,
Si legere omne nequis, credere cuncta potes.

Diuiti
auaro.
78

Quid malè cum notus vili sis natus in aula,
Te frustra inter opum munera tollis inops?
Sole tibi geminet glebas sitibunda Syene,
Latè vuas Bromio Naxos amica gerat.
Tecta tibi fultis ducantur in astra columnis,
Et tumeat gazis Attalis arca tibi.
Innumera epotent Spartanum armenta Galesum;
Quilibet è turba ditior esse potest.

Felicitatis
Vrbanæ tempora.

79

Cum ſit roris amans, & amœni ciuis Hymetti,
Blandaq; melliflui filia Veris Apis.
Dum Barberinis ſtat mellea Solibus ætas,
Ferrea Saturni dicere ſæcla potes.

Ad Cæſarem N.
militem Romanum.

80

Iam taceant Cannæ, ſileant Mithridatica bella,
Nec Libyci reſonent perfida tela Ducis.
Pompeius Terris, & Mutius incubet vrnis;
Surgere, te ſolùm Cæſare, Roma poteſt.

De
extincto in arena.

81

Heu, heu Mortalis, quid fortia corpora iactas?
Si verum noſcis, robore damna paras.
Luctamur miſeri Spartanæ more palæſtræ,
Funeſtus ſudor corpora noſtra rigat.
Quin ipſa in nobis ſunt membra arentia puluis,
Omnes gramineis nudi agitamur agris.
Nec ficta hæc reputes; duri certamina ludi
A' primo annorum tramite quiſque ſubit.
Pulueream exercens pugnatrix Vita palæſtram,
Cum Fato luctans, puluerulenta iacet.

Ad extruentem
ſummum ædificium.

82

Miram cum ſedem ſuper alta locaueris aſtra,
Hanc non eſſe domum, templa fuiſſe puto.

Tu-

Tumulus Pompei Magni in Aegypto.

83

Qui septingemino iam traxit vertice lumen,
Hic septingemino flumine luce caret.

Ad Vrbem Rhegium de Prorege Calabriæ.

84

Rhegi, cohortis Calcidicæ genus,
Phœbo sacratum germen, & Italæ
Lux gentis, Apenninus ingens
Quà Siculis dominatur vndis.
Quondam Peloro brachia porrigens,
Nunc impotenti turbinis impetu
Disiecta quid miraris arua.
Imperij melioris hæres?
Siue es profundi Regia nobilis,
Seu magnus agri terminus Itali.
Herois Hispani coronas
Dent Calabri geminare fastus.
Tu Marte victrix, & studijs potens,
Es magnus Orbis terror, & Vrbium
Fœcunda mater; hic triumphans
Sæcla parat meliora Terris.
Iniuriosas Temporis in minas
Hoc freta Virtus robore militat;
Lethēq; deuicta, frementis
Inuidiæ pede calcat iras.
Hinc fabricator molis ahenea
Longè Perillus tristè remugiat;
Nec cæde sordescat Tyrannus
Sicaniæ populator oræ.
Sontes pharetræ tergore defluunt,
Nec dira sæuas hasta grauat manus:
Gemunt vel arcus, aut iniqui
Fata rotant truculenter enses.

Astrea ferri iam domuit nefas,
Auroq; regnat iam melior Fides;
Et Pax per aeternos honores
Laurigero fugat arma telo.

De filio Annæ Galliarum Reginæ.

85

Quinto coniugij lustro vix concipit Anna,
Et tandem Gallis regia fata nouat.
Cæli progeniem nosco; infœcunda videri
Anna solet, sterilis non tamen esse potest.

In bellatores.

86

Vt dux militiæ vindictam sumat ab hoste,
Fœdè inhians opibus depopulatur agros.
Dedecus heu Martis; cum debeat ipse mereri
Vindicis in bello nomina, furis habet.

In excelsas moles.

87

Quæ nubes inter generosa Palatia surgunt,
Artifice hac solùm sunt fabricata Ioue.

Ad militum Ducem.

88

Signa procul minitans iam, iam ciet hostica miles;
Pugnaci hinnitu fræna fatigat equus.
Intumet ardescens densatis ira maniplis,
Vrget corda furor, & fragor ære sonat.
Quid nectis Dux magne moras torpentibus armis?
Castris iam redeas, & noua bella pares.
Nutu instructa tuo pendet Mauortia pubes,
Turbam ancillantem Marte volente moue.
Dum seruit, iusso Virtus in milite crescit:
Pars magna est palmæ militis obsequium.

Opti-

Optimo Principi.

89

Felix iam regnes; sed quid precor omnia læta?
Sint sæclo, & meritis omnia digna tuis.
Admouet in regnum te rerum maxima virtus;
At serus votis in tua sceptra venis.

Ad auarum nauigantem.

90

Tu lucris inhians, remum das æquore auarum,
Atq; auidis velis Indica regna petis.
Sed patriam in sedem remeas dum diuite puppi,
Nereus, quem sulcas, est tibi Mercurius.

De viro seuero.

91

Rugis Alcander tetricis, & fronte Sabina;
Sed Latiali animo, dicitur esse Cato.
Oris terribili stat maiestate verendus;
Regna superciliis sustinet ille suis.

Ad militem à forti Duce occisum.

92

Digna tibi est ceruix generosis ictibus; ingens
Interiisse leui præda sub hoste negat.
À Duce belligera cadis ambitione peremptus;
Magnis in fatis gloria summa viget.

Hectoris laniati simulachrum.

93

Hectoreum sculpsit laniatum membra cadauer
Mentor, Phidiaca nobilis arte Faber.
Ars vbi tam viuax ficta sub imagine ludit,
Reris, vt æterna signa animata manu.

Quadrupedes illic afflarunt naribus ignes,
Verius hic dices, euomuisse faces.
Hector ibi vt curru, furijs sic actus Achilles;
Non minus hic furia, & currus vtrumq; ferunt.
Res tamen est vno dispar: ibi duxit Achilles
Extinctum, hic viuum Mentoris arte trahit.

In nobilem,
qui picturis
delectabatur.

94

Multa superbus luce bellantum Virum,
Imaginumq; saecla quas fumo nigrant,
Claris tabellis praelia ostentas Ducum,
Delineatis ore barbarico minis
Hinc corpus armis saeuus obiectat Scytha,
Et inde fortem Parthe dissimulas fugam:
Euphratis altè fulminat Caesar vada,
Colore flammans Hannibal Latium fugat,
Aurora diro Memnonis telo sonat,
Gemmis renidens Cyrus in bellum furit,
Et cinere multo Pergami pallent lares.
Lino hinc nitenti praelia Aeacides tenet,
Cui membra adesit dentulo caries graui;
Et inde victor Bactra Pellaeus quatit,
Qui Martiali fronde velauit comas.
Brennusq; Enyo prapete in pugnas ruit:
Pictaq; Xerses pagina vastat Pharon:
Lino at loquaci gesta non fulgent tua.

Tumulus
militis
in sylua.

95

Conditur hic miles; syluam Victoria vestit:
Vmbra triumphatrix occupat omne nemus.

Ad

Ad Heroëm malè sentientem de litteris.

96

Cum de plebe Numa videar tibi, maxime Princeps,
Insano eludis carmina nostra ioco.
Iratusq; rubes, tumidoq; offenderis ore,
Tanquam laurigero fasce superbus eas.
At vera agnosco, nec me sapientia fallit:
Nostris victa togis purpura vestra rubet.

Ad Romam.

97

Qui portenta cupit Cæli explorare diserti,
Te solùm prudens visere, Roma, velit.
Virtutis natale solum, doctaq; nepotum
Claros inter auos posteritate viges.
Fama suis oculis prospectat lucida terras;
Hic solùm est oculis Fama videnda tuis.

Ad primarium Aulæ
Regiæ Ministrum.

98

Alter regnandi non te gerit aptius artes;
Ferues, & dextra vindice cuncta potes.
Humano captu liceat maiora subire:
Mens Phaëthontis inest, robora Solis habes.

Ser. Tullio in cunis
flamma lambit capillos.

99

Ocrisia nato crines pia flammula lambit,
Atq; immune sacro lucet ab igne caput.
O regni fatum: Cæli sub fornice latè
Flamma renidescens cuncta elementa premit.
Nil ergo mirum, si sceptra notauerit Ignis:
Imperij specimen præbuit ille sui.

Per-

Perſeuerandum.

100

Bello concidit Ilium decenni.

Tumulus Phaëtontis.

101

Hic ſitus eſt Phaëton cœco temerarius auſu;
Cui tumulum Tellus, Aſtra dedere pyram.

De
Tybride Romam alluente.

102

Carcere nymborum fracto, niuibuſq; ſolutis
Turgida bacchantis Tybridis vnda fluit.
Vrbem ingreſſa premit tectis infeſta ſuperbis,
Et Roma vndiſonum vertitur in pelagus.
Obſtupuere animi, ciueſq; inſomnia credunt;
Diuitiaſq; ſtupent deperijſſe ſuas.
Heu Tybri: Vrbs terras ſi lege coërcuit, illam
Vndarum imperio tu violente rapis.

De iudicio Dearum.
alludit ad dictum Virgilij.
Venus aurea.

103

Iuno, Venus, Pallas, Phrygio ſub iudice certant,
Aurea cui tulerit præmia digna Deus.
Iuno (nec fallor) faſtus depone ſuperbos;
Et tu bellatrix ſupprime Virgo minas.
Nam ſi Iunoni proprium eſt ardeſcere in iras,
Et ſolitum armigeræ bella ciere Deæ.
Aurea Cypris amat ferro torquere capillos,
Permulcere comas, arte rubere genas
Iam faſtus abeant, iam longè bella vagentur:
Aurea dum Venus eſt, aurea poma feret.

Ad

Ad diuitem auarum.

104

Terra tibi frustra conatur pandere gazas,
Et dare tentat opes ambitiosa suas.
Quid iuuat heu turres æquare cacumina Cæli,
Et picturato tecta nitere lare?
Nil est, quæ Crœso nituit grauis arca metallo;
Dira estis, Crassum quæ tumulastis, opes.

Ad eundem.

105

Qui gazis inhians gemmarum sordeat vsu;
Stat sicco in medijs Tantalus ore vadis.

De Roma;
Virtutis, & Potentiæ Regia.

106

Rethorica hinc hausit lucem, lac dulce Poësis
Ebibit, & meruit tecta habitare Sophos.
Terrarum Rectrix, summiq; Vicaria Cœli,
Et verè numeris maxima Roma suis.

De
pictura Cynegiri.

107

Si dextra sectus moreris Cynegire, Timanthes
Dum te animat telis, est tibi vita manus.

Ad Iulium Cæsarem,
dum interficeretur.

108

Purpureo fluitans nymbo, lethalia Cæsar
Damna subis, nullo dignus obire die.
At nec, dum moreris, solij te fata relinquunt;
Ostris, vt regnes, tingeris ipse tuis.

Ad
Barberinos
de pace
Italiæ,
anno 1630. inita.
109

Præses regia fulguris
Hæres Martia fulminis,
Prolem mellifluam time,
Hyblæam volucrem cole.
Hæc iam mitibus arbitra
Cælo se studijs sacrat.
Iam non acriter obstrepunt
Diro classica murmure:
Sic dum torridus increpat
Acri verbera flaminum
Nerei caniciem Notus,
Numen sæuius infremit;
Ira Ægæa frementibus
Tundit littora fluctibus;
At dulcè Halcyonis canor
Saxo si Libyco sonat,
Iam torpent scopuli minæ,
Iam ponit rabias Noti,
Ægæumq; hyemes domat;
Blandè missus ab æthere
Aura sibilus assonat.
Langue, sylua cupressina;
Laurus, brachia porrige;
Martis sæua tonitrua
Pacis lux fugat aurea.
Prolem mellifluam time,
Hyblæam volucrem cole.
Præses regia fulguris,
Hæres Martia fulminis.

Ad Principem Sabellum Cæſaris Oratorem.

110

Iam melius ſurgens per te reuocatur in æuum
Virtus Romano ſemiſepulta rogo.
Conſiliiſq; tuis bellator Cæſar in armis
Sanguinea fœdat Norica prata lue.
Iurè tibi geminum iungit iam Roma Leonem,
Paule, Sabellorum gloria rara Ducum.
Pallada mente colis, Martemq; in bella laceſſis;
Vnus debuerat non ſatis eſſe Leo.

De N. Vrſino in Epiſcopum electo.

111

Vrſa hæc non Cælo, ſed terris maxima fulget;
Et melius (nobis proxima) noſtra fouet.
Armatus claua ſurgat Tyrinthius heros,
Neſciet hæc diro ſubdere colla iugo.
Ingens quicquid erat, domitum eſt Alcidis ab ira;
At nulla Herculeis viribus Vrſa iacet.

Ad Vrbem eius Epiſcopatus ſedem.

112

Summis virtutum radijs tibi nobilis Vrſa,
Curarum in nymbis, Vrbs agitata, nitet.
Ne Tellus trepides: ſtat Cælo lucida Virtus;
Fluctus iam fruſtrà naufraga terra times.
Sic Mare dum turget, Cælo ſi fulgurat Vrſa,
Fluctibus in medijs æquor inanè tonat.

Ad N. Millinum.

113

Eſt tibi mel fandi, & morum quoq; dulcis honeſtas,
Mellea qui ſuaui nomina ab ore trahis.
Qui te deſierit pallens reuerenter amare,
Hic Charitum incipiet non adamare chorum.

De

De Iano bifronte.

114

Bina sunt Iani facies, quia Romulus olim
Cum Tatio huic posuit templa dicata Deo.
Aut vt bella mouens reditum sibi dulciter optet;
Vel qui Marte furit, fœdera pacis amet.

Hortatur Statuarium, vt summum Heroëm sculpat.

115

Non tibi deficient vires; nec Dædala virtus
Pondere sub tanto victa negabit opem.
Emathia similem Regi dum Heroa figurat,
Ille est Pellæus, tu Polycletus eris.

Crassus bello Parthico interfectus.

116

Romanum Crassum Parthus Rex enecat armis:
Post casum Hannibalem iam quoq; Roma time.

Ad Vrbem Romam.

117

Vrbs fera bella caue; tibi sit timor Herulus hostis;
Hanc Vrbem vinci, Barbarus ipse docet.

Aenææ Elogium.

118

In me, cui diri furit inclementia fati,
Pergama & in sauos versa fuere rogos.
Insedit Genitor tergo, & vicere Penates
Ignem Agamemnonium, Myrmidonumq; dolos.
Ascanium implicui dextra, Danaosq; per hostes
Dum cornu Ida sonat, rapta Creusa fuit.
At postquam Antandro me septima distulit æstas,
Promissa Oenotria vector in arua plaga.

At-

Atq; ibi, post lassum bellanti Marte Numicum,
Rex celebror Latij, Diuus in astra feror.

Ad Principem
puerum.
119

Dum te Palladia Virtus sudare palæstræ
Edocet, & vires erudit illa tibi.
Et tua Olympiaco vestigia puluere figit,
Inq; artes artus fingere amica studet.
Surge aulæ spes alta tuæ, atq; assuesce vocari:
In cuna Alcides iam Ioue dignus erat.

De Viro nobili.
120

Nobilis alta petens, se tollit in astra superbus;
Nobilitas propria mole superba ruit.

De
optimo Rege.
121

Præcipua est Regi virtus prudentia rerum,
Cui summum, est ingens gloria, nosse decus.
Lex ipse est viuax, vulgi concordia felix;
Non iussu imperium, moribus ille docet.

De Iuditta,
quæ ab exercitu Bethuliam liberat.
122

Cede, Camille, tuos fastus: victricia signa
Fœminei crines obsidionis habent.

De Præsule, & Principe.
123

Est Præsul virtute potens, at viribus Heros:
Ille Atlantis habet, Herculis iste vices.

Ad Principem N. de Tygride cicure.

124

Vrsa olim, Libycæ vastatrix horrida sylua,
Dicitur humanas mitis adisse manus.
Irrita quid veteres iactent miracula Fastus
Mendaci Vatum vix recolenda fide?
Gaude iam Princeps; nam te regnante minores
Nunc monstra exercent obsequiosa minas.
Hyrcano indomitum deponit corde furorem,
Et discit mores Tygris habere tuos.

De diuitijs.

125

Ne, quod non habeas, defle; sed egene dolebis:
At qui non optat, non eget ille miser.

Ad Ligurinum de Principatu.

126

Promptus ad Imperij fasces assensus anhelat;
Magnus at in Regno stat, Ligurine, labor.
Communi Princeps cura torquetur; & ingens
Gentis honos patitur flebile mentis onus.

Ad
Vrbem Romam de Aquæductibus.

127

Vt vel aquis regnes Cælo contermina Roma,
Tollit in astra tuas saxeus Arcus aquas.

In diuitias ad Almonem.

128

Diuitijs, Almon, vitijs alimenta parabis;
Ne pretiosa auro quære pericla tibi.
Ictu dum lucis nimio feriuntur ocelli,
Non pretiosa tibi, perniciosa petis.

In funere
Alexandri Magni.

129

Funere Pellæo regnum, & vigor occidit vnà;
Et Domini ad mortem perdita Terra iacet.
Iam posthac leuium miracla silete rosarum;
Arma, Duces, Orbem conficit hora breuis.

De Romæ Aquæductibus.

130

Aërio ductu Felix inamabilis errat,
Curuatoq; grauis vertice Paula tepet.
At Latios inter fontes est frigida Virgo;
Hoc pura proprium Virginis esse solet.

De Maximo Principe.

131

Par emicanti Purpura sideri
Intaminatis luminibus nitet;
Te tolle iam Princeps in astra,
Sidereo redimitus ostro.
Longè hinc colores, flammea quos sibi
Nubes trisulco fulmine concipit,
Cum dira nocturnos per ignes
Axe furit iaculata mortem.
Per te serenum surgit in æthera,
Et Sole maior lucida Regia
Hidaspe flammescit nitenti,
Temporis edomitura noctem.
Sublimis alto gratia lumine
Inspecta vultu iam tibi purpurat,
Et blanda maiestas amicè
Fronte pios iaculatur ignes.
Tu, quæ sub axem Fama volucribus
Alata plumis tollis Apollinem,

Tu

Tubam frementem iam repone,
Et numeris citharam fatiga.
Heros, fugacem vincere temporum
Doctus rotatum, ferrea sæcula
Immutat aurato nitore,
Et radijs inimicat vmbras.

In Mulierem furentem.

132

Ira in me sanis: glaciali Bistoris ora
Sic Ciconum montes sollicitata premit.
Sic & Dyndimeo resonans Antistita buxo
Turrita Cybelis numine plena furit.
Non est, quod vultu viua stent pectoris iræ;
Excidio insanit viuida flamma suo.

Romæ securitas.

133

Longè hinc, aura procax, temeraria bella cieto;
Quà se se cæco turbine Mundus agit.
Ossam crispo alibi iaculentur fulgura sulco,
Hic Latius nullum fulmen Olympus habet.

Principi se futura vaticinaturum pollicetur.

134

Non est, quod vanus referam tibi gaudia vates,
Et sileam certis abdita fata notis.
Nam facilè est, fieri claro sub Principe vates;
Fatidicas reserat clarus Apollo fores.

Ad diuitem felicem.

135

Sparsa serenatis radijs tibi ridet ab vmbra
Solliciti rabies obsequiosa maris.
Irriguis latè rutilantia flumina gemmis
Purpureas trabeas molli adamante lauant.

Eois-

Eoisq; plagis multo tibi stridulus auro
Fulua scintillat lucifer Hermus aqua.
Sauiat in te ergo vana Sors futilis ira;
Vt gazas seruet, latrat ab axe Canis.

De opulentissima
vestium supellectile.

136

Attalica tibi, Crispe, toga, tibi coccina vestis,
Et Lycia splendet cyclade clara domus.
Non Phrygia fastus clamydis, non pallia desunt
Virginibus Tyrijs euigilata manu.
Picta lacerna micat Phœnicibus orsa magistris,
Purpureumq; Hermo diuite syrma nitet.
Et Pharia trabeis ad sudauere puellæ:
Quicquid habet Babylon, continet vna domus.

De Vrbano VIII.
Pont. Max.

137

Tu, qui vaniloquis Vates aptissime nugis
Natura mendax concinis orsa mihi.
Saturni imperio ne mellis tempora finge:
Vrbani iussu mellea sæcla fluunt.
Palmam forte negas? viguit tunc ardua Quercus!
Rege sub Vrbano Delphica Laurus ouat.

De
magnificentissima domo.

138

Bina est aula tibi, ter feruida balnea sudant;
Angustis serpit cochlea quarta vijs.
Area nona viret parili memorabilis horto,
Sunt tibi mille gradus, innumeraq; fores.
Immensum in spatium laxat tua porticus ædem;
Et plures vna sunt tibi sede domus.

In laudatorem
Alexandri Farnesij.

139

Attica Alexandrum non fandi copia dicat,
Aemula nec linguis dextera pingat opus.
Docta Melesigenem non tradat Gracia Vatem,
Africa nec tellus viuida saxa ferat.
Nil est par meritis. Solum, si digna recenses,
Stellanti Herculeus scribitur axe labor.

Pauperi celebranti
Principis liberalitatem.

140

Rerum vbertatem vena vt tu diuite laudes,
Frustra à Maonio carmine poscis opem.
Non inopis reseranda tibi penetralia Vatis:
Principis vbertas diues Homerus erit.

Ad militem ab hostili
Duce extinctum.

141

Cum Duce certasti, sed mors fuit horrida merces;
Laus est à magno procubuisse viro.
Lata sit vmbra malo; solatia funus habebit:
Hector adhuc forti casus Achille viget.

De Imperatore Ferdinando II.
Hæreticorum triumphatore.

142

Iam Cycnis Aquilas iungas, & barbiton armis;
Marsq; velit Dryadum ducere in orbe choros.
Exul & à vetito redeat Sapientia templo,
Cyrrhao vireat laurea multa iugo.
Casareis Aquilis Rheni grauis Hydra fugatur;
Sunt Aquila, Augusto Principe, Pacis aues.

In auri delicias.

143

Iam tritum est aurum; flaua Pactolus arena
Emicat, & vena nobiliore Tagus.
Et Scythicis Arimaspus aquis splendescere gaudet,
Et discit rutilis Hermus abire comis.
Elucet Bacchi thyrsis assuetus Hydaspes,
Et Ganges, fuluas voluere clarus opes.
Et Tartessiaco ditescis Ibere metallo;
Iam nil ipso auro fusius Orbis habet.

De pace Italiæ anno 1630. inita.

144

Pacis sonora nuncia
Sub Barberinis Alites
Summo Quirino prauolant.
Terris abito longius,
Pennata Præses fulminum;
Hinc ferte funus classica,
Quò se cruenta Parthico
Nix decolorat sanguine.
Oras ferox in Italas
Frustra resumat Punicas
Periurus iras Hannibal.
Palmam reportant athere,
Reddunt oliuam Tybridi
Pacis sonora nuncia
Sub Barberinis Alites.

Ad N. Poëtam de nauali victoria Pij V.

145

Quod Cyrrhaa hausi toto iam flumina corde,
Et coma Thessalica pramia frontis habet.
Non mihi sit laudi; sed te cecinisse decebit,
Quæ pius in pelago vicerit arma Parens.

Plectro ego pulso chelyn, turmas ille edomat ære;
Dat mihi Cyrrha vndas, ille triumphat aquis.

Principi
in Vrbem redeunti.
146

Cælum caliget, tu luce nitentior adstas;
Dediscitq; vmbras nox superata suas.
Sic oriente recens se vestit lumine Phœbus;
Sic tener in cunis purpurat ore Dies.

De
ira.
147

Ira recrudescens agitat sub pectore vulnus;
Et præceps cœco turbine corda quatit.
Sic portentifero Nilus furit æstifer amne,
Qui septingemina prælia fronte mouet.
Sic Padus vndantes propellit marmoris iras,
Horribilíq; minax cornua luce rotat.

Ad
Ducem Corneum.
148

Si recto hastili Cornus se tollit in auras;
Cynthiaq; argento cornua flexa tegit.
Per te iam patiens fluitantis cornua belli
Ferrata Cornu Thracia Luna cadit.

Ad
percussorem Tyranni.
149

Acriter effusa tumuerunt compita cæde,
Nunc per te nullo sanguine terra fluit.
Commodus, atq; Nero fuerint incommoda Mundo;
Te viuente, Orbi sana Tyrannis obit.

De

De duobus vno ictu ab ardenti glande extinctis.

150

Ferrea dum Tarcon meditatur fulgura in hostem,
Glandiferoq; vomit fulmina missa tubo.
Vnà hostem, iunctumq; hosti Salmonea dirum
Funerat, & duplicem glans dedit vna necem.
Quid quernum Falcis capulum, Mors horrida, sumis?
Quercu pugnasti, glandibus ara graua.

Ad Excellentiss. Franciscum Columnam Principem Academiæ Ordinatorum.

151

Numini Apollineo fertur sacrasse Columnas
Græcia, Apollineo Græcia amica Deo.
Nunc sunt, ò Princeps, contraria vota; Columna
Se melius sacrat noster Apollo tuæ.

Ob bellum Aeneæ in Latio.

152

Si gemis, ò pariens, Latium iurè ingemit armis;
Namq; Orbi imperium terra Latina parit.

Spartana libertas.

153

Spartanus bello fractus, vinctusq; catenis
Respuit Antigoni dicta superba puer.
Et potius, quam iussa pati, ruiturus in imam
Se toto præceps corpore misit humum.
Disce vel in Puero, quis sit Lacedæmone natus:
Quem superasse potes, hunc domuisse nequis.

Carmen de Roma veteri.

154

Virtutum, imperijq; larem, compendia rerum,
Romam adij, Latijs quæ tonat alta iugis.

Hanc vallant longo expatiata Suburbia tractu,
Seu quà Flaminium porta recludit iter.
Appia Romulidum seu quà regina viarum
Porrigit in Calabros vltima tecta sinus.
Vndiq; Mygdonio stant alta Palatia sumptu,
Et latè innumera mole laborat ager.
Plurima quid referam? nil non mirabile vidi;
Villica tecta Vrbes, Vrbs tamen Orbis erat.

Alexander à Lysippo sculptus.

155

Quæris Alexandrum? Lysippi consule marmor;
Dices, hunc Macedum verius esse Ducem.
Spirat Alexander viuaci in marmore; viuit
Ipse in Alexandro, qui benè cælat opus.
Fortunati ambo; nam plurima vtriq; deessent,
Si non alterius viueret alter ope.

De Barberinis.

156

Est Apifer, sacro Romæ qui culmine regnat;
Nobis Regales Terra creauit Apes.

In eũ, qui irridebat Romanæ Vrbis propugnaculũ.

157

Hinc vallum irrides, hinc propugnacula temnis.
Et Getica hinc ludis mœnia fracta manu.
Flumina sunt vallum, sunt propugnacula miles,
Mœnia sunt, valido quæ sonat ære manus.
Quæ si defuerint; Roma stet nominis omen:
Nomine Roma suo sat sibi robur erit.

Principi iusto.

158

Auguste Princeps, te suam
Astræa prolem iam putat.

Noscitq; te clemens suo
Amor renatum germine:
Astraa quod mitis velit,
Rectus probare vult Amor;
Nec palma danda est alteri:
Timore amaris Iudice.
In Orbe quod nunc dignius
Fides habet miraculum?
Aequus Rigor nos corripit.
Amans Timor te diligit.

De Turcarum Imper. deuicto.

159

Arbiter Aegaei fluctus miser abstinet armis,
Nec plus terrarum concutit arma fragor.
Europa fulmen cecidit, Scythiaq; tremendus
Rex iacet Eoa iam tumulandus humo.
Alto nunc fluctu Cerealis merges arista
Vndet, & aurata pube coloret agros.
Tunc placidè terris Nabathaus surgit Apollo,
Cynthia victa armis cum Nabathaa cadit.

Card. Mediceo de Io: Camillo Zaccagnio Rom.

160

Iurè hoc florenti Macenas diceris auo,
Carole, purpurei gloria summa chori.
Claruit Etrusco Macenas sanguine Regum;
Regibus Etruscis tu quoq; clare nites.
Vnde tibi hac meritò Latia de gente Camillus
Inscribit grandi verba animata sono.
Et qui Romana nouit se stirpe creatum,
Romano eloquio nobile sacrat opus.
Gaude Palladij Macenas cultor honoris,
Quem laus, & virtus obsequiosa fouent.
Vtq; alijs rutilas tu lux nitidissima Regum,
Sic Oratorum lux tibi prima nitet.

Virgilius prisco iam Mæcenate canebat,
Per te nunc melius Tullius ore tonat.

Ad Ferd. II. Mag. Etruriæ Ducem de eodem.

164

Ferdinande, tuo qui solum nomine gaudes,
Vt metus esse hosti, sic amor esse tuis.
Accipe summe Ducum, Latio quæ culta nitore
Inclyta Medicei gesta Leonis habent.
Inspice tam magni generosa exempla Parentis,
Atq; tuum in prisco nosce Leone genus.
Et pariter gaude, qui grandia facta tuorum
Non tam mirari, quam superare potes.
Tellus, Mediceo quot cernit germine natos,
Tot dominos famulo gaudet habere sinu.

Excellentiss. Francisco Columnæ, de eodem in laudem Thomæ de Villanoua Orante.

162

Par Græco Isocrati Latio tonat ore Camillus,
Hesperij Thomæ dum sacra gesta refert.
Tu, Regi Hesperio qui iunctus fœdere viuis,
Hesperij noscas hic monimenta Viri.
Iurè, ò (Virtutis columen sublime) Columna,
Eloquij columen hoc tibi sacrat opus.
Innitiq; tuæ, Princeps generose, Columnæ
Solum optat, felix ambitione sua.
Si Græcum Isocratem dorso tulit alta Columna,
Nunc Latium Isocratem celsa Columna regat.

Peregrinantem amicum Romam inuitat.

163

Orbis amor, mundiq; decus, Mauortia Roma,
Quicquid habet Tellus, claudit amica sinu.
Hanc patriæ patriam, & rerum incunabula dices,
Vna qua fluitans Orbis in Vrbe coit.

Cuius honor terris plus luce nitentior ardet,
Cuius amor mundo plus ratione valet.
Nunc tibi, cui peregrè patuerunt limina mundi,
Atq; hominum mores edidicisse iuuat.
Ausonij huc tandem placeat sub vertice Cœli
Troiæ adijsse lares, & placuisse iuuet.
Namq; hominũ vt sedes, sic morũ est amplior index,
Multa monet Tellus, omnia Roma docet.

Ad Ferdinandum II.
Imperatorem.
164

O Fernande, Aquilo cui subdita murmura ponit,
Et rauci belli fulmina hiulca cadunt.
Herculeæ frondes tibi circum tempora serpant,
Et Phœbus ramis annuat ipse suis.
Hinc Pax æthereis fert nubibus æmula templa,
Hinc Cereris latè iugera messe fluunt.
Haurit iam galeis imbellem turba Tibiscum,
Et refugos Dacas vincula in arcta trahit.
Quin Numen iam fassa tuum, famulantia dextris
Flumina arundineis prona tributa ferunt.
Atq; alacri plausu, fortunatoq; susurro
Aura sonat pacem, lympha trophæa canit.

Vis
omnia potest.
165

Flammis marmoreas euiscerat Hannibal arces;
Et ferro à Medis velificatur Athos.

De
Palatio Farnesiano.
166

Ne iacta Enceladi vires: maiora supersunt:
Quæ molem hanc struxit, dextra Latina fuit.

Bombarda,
Tormentum bellicum.
169

Ferrata igniuomo quæ viſcere machina flagras,
Luctificoq; furens impete dira tonas.
Eumenidum ex antro te Tartarus edidit auris,
Liuenteſq; faces prodiga ripa dedit.
Per te fit cædes, hoc ardent nubila ab ictu,
Fratrumq; Aetneadum Regia hiulca fremit.
Namq; Acheronthæo funeſtum ſulphure Martem
Ferre cruentatis Vrbibus vna ſoles.
Damnum vnà, Mortiſq; horror; furor vltimus Orbis;
Irati in Terris ignea imago Iouis.

Ad Principem ſummè liberalem.
168

Lydia ſordeſcat, rutilo quæ littore gemmat,
Et metit aurato germina fulua ſolo.
America, in facilem quæ pandens viſcera cenſum,
Sola Orbi domino ferre tributa poteſt.
India, quæ gazis Phœbo cum diuite certat;
Dona tua fundunt vberiora manus.

De cloacis antiquæ Vrbis.
169

Vrbe ſub arcana ſordes raptura Quiritum
Iuſſa eſt ſepteno currere lympha pede.
Fornicibuſq; incluſa cauis, quod concipit alueo,
Tybridis in medios porrigit alta ſinus.
Clauderet hæc vaſto volitantes gurgite currus,
Curreret incluſis ipſe vel Iſter aquis.
Quid maius te Roma reor; ſi penſilis vndas,
Quas vix Ionium volueret, intus habet.
Nunc Vrbes aliæ Cælo ſua culmina iactent;
Ima in te nequeunt par reperire decus.

De

De Vrbano VIII.

170

Pindarus emergit Thebis, Plato surgit Athenis:
Mellea sunt verè secula; regnat Apis.

Senex Vrbis Senator.

171

Non quod Cæsarea sim maiestate verendus,
Nec Capitolino fungar honore grauis.
Tardius incedo; multo dum comprimor æuo,
Sacli est maiestas perniciosa mihi.

Patriarchæ Columnensi
in philosophicis disceptationibus.

172

Depicta fuscis oræ coloribus
Cohors rebellis iam fremit Otij:
Sic belluoso præliantur
Carpathio violenter Euri.
At clara Virtus, sidereo comam
Cui gemma serto nobilis implicat,
Columnæ inhærens fulminanti
Cimmeriam ferit ense Turbam.
Frustra proteruis sibilat anguibus
Ignaua Pubes, ac grauis impetu
Desæuit in Martis triumphos,
Et Sophiam temerare tentat.
Recede Liuor: gloria Dardana
Vincit Columna nomina Cæsarum;
Nec curat Augusti trophæa
Barbaricis vlulata turmis.
Seu bellicosis ille cohortibus
Victor reuisens culmina Romuli
Ducat catenatas triumpho
Vindelicis metuendus Alpes.

Aut Albis acres temperet impetus;
Siue æstuanti fortior æquore
Spumosa Nerei decoloret
Imperij dominator arua.
Si Martis armis læta superbijt
Tarpeia rupes, Præsule clarior
Nunc stat Columnensi, & trophæis
Palladijs decorata regnat.
Annis subactis, maxima Virginum,
Regis Deorum Filia nobilis,
Hac Martia victrix Columna
Euehitur super astra Pallas.

Princeps Farnesius natus
ex Margarita Aldobrandina.

173

Vera cano: Terris Cælum conspirat amicè,
Mutua cum Superis fœdera nectit humus.
Circinat in gyrum sena hinc sua sidera Cælum,
Inde pares ducunt Lilia in orbe choros.
Felix coniugium; sed tu felicior Infans
Romano in lucem semine digne venis.
Maternas longè superas in imagine formas,
Viuida spes Atauùm, nec Genitore minor.
Terra tibi flores, Cælum tibi sidera cedit:
Flore manus oleant, sidere cinge comas.
Hæc cecinit Protheus: at si me vera canentem
Respicit indulgens in mea vota Pater.
Cresce Puer Terris; Cælum tibi geminat Astra;
Cresce Puer Cælo, nec tibi Terra satis.

Ad Odoardum Card. Farnesium
de Nepote.

174

Romulidum spes alta Patrum, cui purpurat ostro
Crinis, & Austriacum flammat ab ore decus.

Iam

Iam veterum fasces, & auitis clara triumphis
Atqiā sordescunt, dat meliora Deus.
Paruus Alexander fraterna ludit in aula,
Et surgit regni spes rediuiua tui.
Terra tibi plaudit, tibi iam gemmantibus vndis
Ditior aurifero voluitur amne Padus.
Ah veniat, nostro cum tu Pater Vrbe triumphes,
Ah veniat, Puero quod detur Orbe frui.
Sic te Roma colat; sic te, Puer, Indus adoret,
Vrbis, & Orbis amor; Martis, & Artis honor.

De
Hannibale.

175

Horrificis aquant quà se se nubibus Alpes;
Iratiq; Iouis proxima tela pauent.
Vulcani iniiciens glomeratis semina flammis
Strauit inaccessas Hannibal arte vias.
Italiaq; minax Alpinos dicitur ignes
Primus inoffenso præterijsse pede.
At celer Etruscos dum vastat milite campos;
Et Ioue sub gelido durius alta subit.
Damna hyemis patiens, & diri incommoda Cæli
Luminis alterius claudit in orbe diem.
Dis e, cauere hostis, tibi dum caligat Apollo,
Et clarum nubes surripit atra diem.
Cum tua natiuo spolientur lumina visu,
Te quoq; iam spolium Temporis esse puta.

Tumulus Syluestri N. strenui Ducis.

176.

Traxisti à sylua Syluester nomina, viuus
Telorum syluas hostica in arma dabas.
Et tumulo recubans, sylua hîc decoraris honore
Bellica Palma viret, Martia Laurus ouat.

Rex

Rex aliorum iudicio
imperans.

177

Qui dicto alterius pendet, hic aure gubernat:
Rex miseris populis incipit esse Midas.

De Vrbe Roma.

178

Sit Diuûm nutrix, Mundi compendia, rerum
Miracli, & vasti Roma sit Orbis apex.
Sit Dea terrarum, qua nil complectitur æther
Maius, & æternis incubet alta plagis.
Quid tamen hinc tãti superest, nisi terror, & vmbra;
Qua tamen hæc fuerit, terror, & vmbra docent.

De eadem.

179

Nata Deo, Diuumq; altrix Mauortia Roma
Extulit in geminos vltima regna Polos.
Mox cecidit, belloq; iterum post damna superstes
Iura dat æthereis imperiosa plagis.
Ne stupeas; Alijs sint hæc miracula terris,
Edita Cælesti semine Roma fuit.

E' Troiæ cineribus
Roma orta.

180

Qua iacuit quondam Danais inũisa maniplis,
Stat modo Romulidum clarior aucta manu.
Tu Roma es magni decus Orbis, Troia superstes,
Ilij ab excidio non moriture cinis.
Et plus victa viges, quam si non victa stetisses;
Docta olim Terris, nunc dare iura Polo.
Interitu speciosa tuo. Nam, vindice Roma,
Tam malè non cecidit, quam benè Troia redit.

Sa-

Sapienti Regis ministro.

181

Tu Regi meritis par es, diademate dispar;
Illud virtutis, ponderis istud opus.

De Sardinia à Gallis vexata.

182

Sardinia irrisit Gallorum Martia signa;
At verè risus nunc habet illa suos.

Ad Pindaricam Musam de Romana magnitudine.

183

Lustris edacem siue inexhaustis potens
Hebetare grauium temporum morsum cupis,
Moritura siue sæculo nunquam truci
Trophæa Cælo quæris Heroum dare,
Non vsitatis aërem pennis secans,
Alas volatu, Musa, Dircæo quate:
Et, quà coronat septimo se se iugo,
Tuba sonantis Pindari Romam cane.
Inter ruinas, & sepulchrales minas
Adhuc in Vrbe Dardana exuuiæ nitent;
Victisq; Thebis Iupiter Latius tonat.

In sæculi luxum.

184

Auriferi vada fulua Tagi pleno ore sitimus;
Non sat humus gazis est opulenta suis.

De Vrbano VIII. ægrotante.

185

Dum morbo Vrbanus premitur, vitàq; laborat;
Tristè expallescit deperitura Salus.
Cælum voto onerat, Romaq; ad funera plorans
Vocem se dignam supplice ab ore trahit.

Vrbs

Vrbs longum senium saluo sub Principe ducat;
Non vox hoc voto dignior esse potest.

Casus militis.

186

Aequor habet lauam, fax dextram, corpus arena,
Aura animam; tumulus sunt elementa tibi.

De milite strenuo.

187

Nescia dum vinci Mauortia fulmina vibras,
Pars, hostes inter, vulnere nulla vacat.
Horrificum surgat terrarum in funera Monstrum,
Cuius vipereo membra cruore fluant.
Fortiter ignivomam vincet tua dextra Chimeram;
Pegasus hoc stellas Bellerophonte petet.

Ad Romam.

188

Nil Arabas, Mauros, Anglos, Garamantas, & Indos
Per te curo; Orbem tu mihi Roma facis.

De
ædificijs Romanis.

189

Vrbs nimio angusta es populo, te tollis in altum
Molibus, & campo stas peregrina nouo.
Arctum translatis solidaris in aëra saxis,
Ventorumq; alis contrahis ipsa vias.
Te Veneris Natus genuit; procul emigret Aëre
Aufert Iunoni nunc quoq; regna Venus.

Hannibali victori.

190

Hannibal irride, minitantem sanguinis vndas
Triplex in Calo fulmen habere Iouem.

Dum

Dum Cannas, Trebiam, & Trasimenũ cæde cruẽtas,
Triplex in Latium tu quoque fulmen habes.

Horatius Cocles
Victor.
191

Vrbem Quirini alumnam malè concitus odijs
Rex Tuscus efferata petit acriter acie,
Dorsoq; spolia gestat tygrium celeripedum;
Studijs atrox Gradiui horrida Porsena phalanx
Furit, & strepens recuruo ciet ære prælia.
Acuunt plagas in hostes fera cuspide iacula,
Pictis ferocit aër tumidus Leonibus,
Et sæuientibus pectore bellicis minis
Quatiuntur hinc, & illinc celeri arua sonipede.
Iam pressa Marte Roma vice nutat varia,
Vrbemq; posse vinci Dea velifera docet.
Tarpeia saxa matrum grauè murmura quatiũt,
Ipsaq; in arce pallens nece, Romule, trepidas.
At fortis arma Cocles mouet impiger, & Auem
Satellitem Tonantis, trifidoq; fulmine
Claram dat auris, petit impete fluuium,
Summoq; ponte bellans, rotat in fera gladium
Hostilis arma Regis, benè prodigus animæ.
Hetrusca feruet ira, ictibus omnia resonant;
Dirè Gradiuus horret, telis dies latet,
Ferriq; sæuit ardor, truculentaq; rigidi
Insania ensis errat, iuga questibus vlulant;
Et vis laborat omnis; sed vana Porsenæ
Stant arma contra: auito Cocles genere potens,
Calente Tusca ferro metit agmina patrijs
Edoctus artibus, solus & omnibus adimit
Spem vitæ ab ense; Mauors stupet ipse belliger;
Noscitq; vix nepotem. Libitina fera suo
Non est sat ictui, & Ciuibus intrepida salus
Est vnus ensis, vndant caua littora sanie.

Hic corda fixa telis, ibi pectora iaculis
Campo cruenta sordent, dolet vltima sonipes
In fata humi reclinans; furor auolat animis,
Dura quiete frigens sopor oculos operit,
Suntq; Vrbis arua Tusco natitantia pelago.
Horrore proximo per caua pumice rigida
Hamentium Dearum gelat attonita cohors:
At Tybris ipse Tusca spumans nece incalet;
Minus horrido supernè Pater athere tonuit,
Cum mille flexuosis resonantia colubris
Squamosa monstra Fratrum dedit edomita solo.
Riguitq; Pelio fracto humus horrida scopulis.
Armis, & arte victor procul Vrbis ab aditu,
Laribusq; Dardanis, quà radiantia chalybum,
Aerisq; fulgura ardent, Ducem Horatius tenet:
Metumq; Porsenamq; ex animis procul agere
Gaudet, quietis author, placidi otij parens.
Fractoq; ponte, latè vada per Tyberis, iter
Fuga parans decora, patriam incolumis adit.
Clamore sidera implens Capitolia repetit,
Omnes Quiritium in se ciet armiger oculos
Patrijq; Martis ara sacra vota concipit.
Tu cuncta disce ab vno: vel dum fugam parat,
Anima est Latina victrix, domat omniū et animos.

Torquato Filium necanti.

192

Lege tua vt surgat tuta Vrbs, das funera Nato,
Cum Natum perdas, tu Pater Vrbis eris.

De Vrbe Roma.

193

Marmoreus Romam populus iam stipat; & Vrbem
Nunc, plusquam Ciuis, saxea turba colit.
Verè ergo aternam quis Romam deneget Vrbem?
Cum nequeat populis interijsse suis.

Di-

Diuitiæ
citò intereunt.

194

Ne stupeas, vnda citius cur effluat aurum;
Dum pallet, mortis dat tibi signa suæ.

Romæ
æternitas.

195

Laomedonteæ semusta cadauera Romæ
Dum lustro, attonitum torpet in ossa gelu.
Nec Romam Romæ inuenio; iacet vsta fauillis;
Et quæ iam fuerat, sola ruina docet.
Cæsareos viden vt memorant Capitolia fastus,
Maior & è medio funere fama venit.
Disce, quid hinc fuerit Romana potentia terris;
E tumulo spirat nunc quoq; viua minas.

Ad
Purpuratum curis agitatum.

196

O' Purpurate, lubrico hoc rerum mari,
Ne vorticosæ turbines aulæ time;
Purpura procellis horridi assueta est maris.

De fœmina,
& Rege.

197

Fœmina, Rexq; simul terris Idolá coluntur;
Fœmina imago viri, Rector imago Dei.

Sors sua cuique.

198

Si te regna manent, Consul prodibis ab agris;
Vinces, & medium sceptra nouale dabit.

De
præliorum frequentia.

199

Prælia ne desint, hastarum pullulat horror,
Fœcunda galea militat hirtus ager.
Sanguineo proles sulco ferrata tumescit;
Ense viret Mauors, & tonat are seges.

De Ioue, & Roma.

200

Nil Ioue maius habet, nil Roma dignius Orbis:
Rex est ille Deûm, Regia at ista Virûm.

Tumulus
Magni Herois.

201

Hic radios Solis referens, te culmine claro,
O decus Heroum, Pyramis alta tegit.
Nam quamuis cœcum claudat tua busta sepulchrû,
Solis in aspectum sæcula longa trahis.

Romæ encomium.

202

Mille Polo inscribit Natorum nomina Roma,
Et Fata ante pedes obsequiosa tenet.
Orbem inuicta domat, Regesq; in vincla coarctat:
Hac alia fieri non potuere manu.

Ad Magnum Pompeium
de Caio Iulio Cæsare.

203

Dux hosti excidium minitans, breuioribus ausis
Oppida (si sapiat) nobiliora domet.
Bellator Romam cur Magne relinquis Iulo?
Præcipua Vrbs Caio nunciat Imperium.

Ad

Ad Romanum de Castore, & Polluce.

204

Pralia dum misces, gemino cum Castore palmam
Romane es pactus, dummodo templa loces.
Diui hostes superant; ades attollitur: ara
Romulidum in castris promeruere Dij.

De Villa Tiburtina
Aelij Adriani Imp.

205

Tam latè in campos, vbi Tibur culmina tollit,
Sumptibus Augustis Aelia rura patent.
Vt, Roma hostili si dextra euersa fuisset,
Romani hac fastus sat documenta forent.

Pugnæ Naualis Victoria.

206

Phœbe veni, lętas arguto in pectine fibras
Tange, Phileteam docte animare chelyn.
Pymplaas digitis impelle loquacibus auras,
Castalis & plausu murmuret vnda tuo.
Sic dulcè in syluis penna plaudente susurrat,
Et querulas frondes Aura canora mouet.
Plaudite, Romulidum Mauortia pectora Patrum,
Plaudite, & Aeneadum spargite flore vias.
Vicit io miles, lauroq; adoperta capillos
Vicit io Ausonidum Martia turba Ducum.
Hinc procul ò cithara, & proles numerosa leporum.
Hinc procul ò teneris Gratia nexa iocis.
Arma amens meditor, non sat rationis in armis;
Arma amens cupio, iam bibo corde faces.
Quò Dij, quò Mauors, quò me Bellona ruentem
Proripit, & torto verbere terga secat?
Bistonidum classes, & Thressa cornua Luna,
Ambracioq; cano didita membra salo.

En

En Acies geminum se bellica lunat in arcum;
Armorum radijs picta resultat aqua.
Hinc Venetûm generosa phalanx, hinc milite multo
Occupat vndantem classis Ibera sinum.
Horrendùmq; tumens Latijs Antonius armis
Infremit, & magno fulminat ore minas.
Iam, iamq; inflexo longè canor increpat are,
Durius & bellum classica pulsa cient.
Stat contra Ocyalus, Pertausq; ingentibus ausis,
Et rabie frendens sollicitatur Ali.
Centenàq; simul furit insuperabilis alno,
Vastaq; Pyalius carula regna tenet.
Tristi subridet vultu, crebrosq; rotatus
Luminis irati flamma inimicat atrox.
Sic Leo tristè minas agitat, cum sauiter illi
Tergus adulanti verbere cauda ferit.
Quid plura? ingenti mugit sub pondere Nereus,
Et vix est armis area tanta Mare.
Stant odij causa, stant duri incendia Martis,
Buccinat are fragor, & tuba bella vomit.
Tympana sollicitè damnata silentia frangunt,
Odrysiaq; mouent barbara signa rates.
Dissiliunt puppes, & torto carula sulco
Verrunt; icta albo candicat vnda sinu.
Thracibus aura fauet, pennàq; armata rigenti
Marmaridum sauo militat illa Duci.
Pondera iam pharetra longè extenuantur in arcus,
Telorumq; imber missilis astra tegit.
Insolito calybum nymbo riget aspera Iuno,
Fulmineoq; horrens ferro adoperta fremit.
Mox se consertis miscent clypeata maniplis,
Et medijs in aquis agmina Marte calent.
Non aliter pugnam Latijs Octauius armis
Antonj vires edomiturus init.
Actiaca hostili rubuerunt sanguine arena,
Et tepuisse Euros clade calente ferunt.

Na-

Naues arboreo iactant è pectore flammas.
Et fumo in noctem vertitur atra dies.
Sulphureo pauitant agitata elementa boatu,
Vulcani furijs æquora adusta fremunt.
Igniuomo nitri trabs plurima soluitur æstu,
Et fracta Ionio pinea sylua riget.
Subijcit ipse Furor geminatis ictibus arma,
Crebrescitq; vndis horrida imago necis.
Hellespontiacus scelerato robore miles
Austriacas credit perdere posse rates.
Sæuit in arma furens, deuotaq; pectora Cælo
Bistonia cogit claudere fata manu.
Threicioq; studet Mars inseruire Tyranno;
Et nostra exultat cæde superbus Arabs.
Hesperio salsum maculatur sanguine marmor;
Et feruens Itala purpurat vnda nece.
Corporibus cæsis fluctus voluuntur opaci,
Et sacrum latè sanguinem arena bibit.
Luna refulget ouans, & victo Sole triumphat,
Edita Sauromatis barbara Luna plagis.
Sed tandem Mauors, qui terris prælia miscet,
Frustra bella ferens, æquore vela regit.
Irrita desudant Scythicæ conamina pubis,
Et proprio torpent obstupefacta gelu.
Astra pijs alacres renouant in prælia vires;
Faustoq; afflatu cælica signa fauent.
Barbara transtra volant funesto auulsa tumultu,
Fluctus vela rapit, quæ rapuere Noti.
Atq; ostensa truci, sed non concessa Tyranno
Aduersis nutat laurus opima comis.
Hinc Aquila Austriadum, Veneti stant inde Leones.
Et patrio bellans Marte Columna tonat.
Territa Bosphoriæ pallescunt cornua Lunæ,
Thraciaq; egelidum frigus in ossa meat.
Non aliter Phlegræa ciens in prælia fratres
Enceladus torto terruit angue Iouem.

Ar-

Ardent igne trabes, fœda nece marmora sordent;
Turbinat ira feros, & metit ense reos.
Sic concussa ruunt lunatis agmina peltis,
Brachia cæsa Getum, truncaq; busta natant.
Torpet adustus Arabs, arcumq; fatigat inultus,
Corruit in fluctus, & bibit ore necem.
Ipse fugam Ocyalus rapido petit impete vectus,
Portaus excutitur, Pyaliusq; ruit.
Vndoso latitant pauitantes gurgite Nymphæ,
Et trepida Ionium tristè perhorret aqua.
Sternuntur Numidæ, variaq; in imagine mortis
Sanguineos ructant ore vomente lacus.
Hinc singultantes extis spirantibus artus,
Funere iam mersos hinc rapit vnda Duces.
Et quæ flaminibus fouere tepentibus Euri,
Hæc Zephyrus verso turbine membra rotat.
Scilicet ancipiti ludit discrimine Fatum;
Et modò quæ releuat, mox reuoluta premit.
Arma Ducum, clypeiq; & Thracia gaza per vndas
Passim sanguineo plurima rore natant.
Quid memorem extinctos non vno Bistonas ictu,
Quid referam Austriaca pectora cæsa manu?
Fortis in Ambracio pelago Dux vicit Iberus,
Et noua signa parat, & noua regna parit.
Intonuere graui Tritonum murmura cantu,
Et flexo hunc Nereus edidit ære sonum.
Dicite io Ciues; redimitus tempora lauro
Dicat io miles; Thracia regna iacent.
Irrorate sacra madidos aspergine campos,
Pingite chrysolithis spumea regna nouis.
Et vos, æterni soboles cultissima Veris,
Alba verecundis lilia mixta rosis.
Certate ingeniis, & plaudite pube colorum;
Purius haud vnquam Sol tulit axe diem.
Adstet odorus Arabs, & Cælum thure vaporet;
Clare veni, & nostris annue Phœbe sacris.

Ter-

Tertia Frons

I A N I

Varia.

RVSTICAE VITAE LAVS
Ad Amicum.

I


VM studijs diuersa suis Natura feratur,
Te solũ teneat Ruris amica quies.
Vbere quà rerum cultu viret herbida Chloris,
Et se, se laxat liberiore sinu.
Syluaq; vestitur folijs, & murmure plaudens
Dulciter umbroso tegmine opacat humum.
Qui Galatum claro fulsit Deiotarus ostro,
Antes rudes cultu sollicitauit agros.
Ad Paridis calamum latas dedit Ida capellas,
Et blando Anchisis carmine lusit ouis.
Culpis fœcundas iam despice tutius Vrbes:
Sat tibi diuitiæ messis, & arbor erunt.
Sint Cælum frondes, & sint tibi sidera flores;
Non minus Vrbe potens grandia Lucus habet.
Mollia ne credas, quæ confert commoda Campus;
Est animæ fortis nam quoq; cultor Ager.
Spartacus inuicta fortis gladiator arena
Errantes olim duxit in antra greges.
Bassius ex agro vincendis hostibus aptus
Venit, & Ausonia Cæsar in Vrbe fuit.
Bella è suspenso fert Cincinnatus aratro,
Et victi stiua sustulit arma Ducis.
Rusticus Hispanum coluit Viriatus agellum,
Qui sæpe Aeneadum contudit arma manu.
Erutus è syluis Othomanus surgit in auras,
Vt Phœbo imponat, victo Oriente, iugum.
Sic Ager æterno pubescit semine laudum,
Et semper viridi Lucus honore viget.
Nec tam sylua viris, quam Numine, clara superbit
In syluis Cælum Pan Tegeæus habet.

Solum & frondoso crepitantem murmure lucum
Aurea Saturno sæcla dedere domum.
Ergo abige Attalico damnata palatia cultu,
Quà Vitium pompa luxuriante tumet.
Nec tibi sint curæ Nabathæo regia sumptu
Tecta, nec ingentes Persidis Vrbis opes.
Quod si quis Sylua turritam conferat Vrbem,
Vrbs ditare potest, Sylua beare solet.

Vires ingenij humani.

2

Hircanæ parent Tygres resonante flagello,
Et victus collum sub iuga Pardus habet.
Dulciter assuetus loris obtemperat Vfens,
Et miti resonat ducta Bisonte rota.
Arcadicus poscit Ceruus seruire lupatis,
Et blandè famulo lusitat vngue Leo.
Ferrati cohibent nexus Calydonia monstra,
Spumantesq; Vrsos fræna Libyssa domant.
Datq; industrem Elephas suspensus fune choream;
Victor Homo domitis est Deus ipse feris.

Ad Attalum de Titia fœmina iustissima.

3

Dum Titia in terris aquè Ius dicit in omnes;
Est verè nobis, Attale, Iustitia.

In N.
Phedonem Platonis malè vertentem.

4

Tù fœdè calamo Phedonem vertis inani:
Iam sua fata animæ deperituræ timent.

Mortalium mala.

Agmen Morborum, curæ quid sauis inani,
Et vanis studijs quid Libitina furis?

Exi-

Exiguum eſt, armiſq; tamen committitur æuum,
Tardaq; fatorum quæritur enſe via.
At ſi Cloto deeſt, nos atra aconita parantes
Crudum ipſis fatis addimus ingenium.
Ergo ne poſthac artes oſtendite Mortis;
Mors à mortali ſi didiciſſe poteſt.

Ad Ill. Fenzonium
Vrbis Senatorem de ſtatuti Romani
Commentarijs.
6

Fenzoni, quondam Tarpej clare Senator,
Iudicij ſpecimen, conſilijq; decus.
Cuius dextra potens tractauit eburnea ſceptra,
Fulgidaq; aurato tegmine palla fuit.
Iam Latium, Aegeria per te non inuidet vndis,
Pompilijuè ſenis ſæcla nouanda petit.
Nam ſapiens Vrbi dum Ciuica iura recludis,
Gaudet habere ſuum nunc quoq; Roma Numam.

De eiuſdem
ſcriptis.
7

Legum magne Parens, populis cui nata regendis
Clara Senatoris nomina Roma dedit.
Aſtrea Occiduo per te reparabilis Orbe
Inſuetum ex aſtris carpere tentat iter.
Et terras repetens, mouet in Capitolia greſſum,
Lauro virgineas implicitura comas.
Vultq; alibi Scelerum turmas victura rebelles,
Solùm Tarpeio ferre trophæa iugo.

De Notho
ſub rupe extincto.
8

Ruente tegeris rupe; te mater tegit.

Ad Fabrum doctum.

9

Dum, Faber, arte potens tam docta volumina pangis,
Vulcani verè est edita Pallas ope.

De Mensibus.

10

Mensis, cui Ianus, cui fecit Februa nomen,
Quem Mars signauit, quem Cytheræa dedit,
Cui titulum Maior, Iuniorue, aut Iulius addit,
Quemuè suo Augustus victor honore sacrat.
Quo Pomona viget, vel quo despumat Iacchus,
Quo nymbus sæuit, quo niue prata rigent.
Cuncta hæc vt vario se voluant annua cursu,
Sol tibi cura subest, est tibi Luna labor.

De obliquis hominum moribus.

11

Cum veteres credant: Homines à Sole creatos;
Solisq; affectus corde bibisse, ferant.
Vt Sol in Cælo transuerso limite oberrat,
Sic Terris homines crimina Solis habent.

De statu humano.

12

Ludicra cum terris semper Fortuna rotetur,
Et se scire nihil, non nisi quisq; sciat.
Qui terris degit, miser est, aut viuit ineptus.
Heracliti fletus, Democritiq; iocus.

Ad virum,
qui litteris clarescere studet.

13

Vt virtute mices, noctes in lumina Solis
Semper transmittit docta Lucerna tibi.

Iu-

Iuriſconſulto
probo.

14

Es Themidis proles, & nullis ſordibus aui
Mens recti conſors eſt labefacta tibi.
Ambitio te, te non ludit cæca futuri,
Nec curis ardet vana cupido ſuis.
Rerum ſpes anceps animum non inquinat auro,
Nec deſiderio purpura cæca ſuo.
Factus & è libris Conſul, poſt nobile Munus,
Ad libros rurſus tu rediturus eris.

De Oliuo.

15

Arboreos inter viridanti vertice cœtus
Se ſe pallenti tollit Oliua coma.
Vt quoque, dum lychnis ardebit Palladis humor,
Vir diſcat, doctis pallidus eſſe libris.

In
Lutherum.

16

Es Luthere lues, non lux; at ſi impie luces,
Tu lucem, vt iacias fulmina, nubis habes.

In Zuinghlium.

17

Septeno per te Rhenus furit ore, Zuinghli;
Orbi peſtiferis faucibus Hydra nocet.

In
Eraſmum.

18

Ore Eraſme tonas; nubem mens cæca vaporat:
Nam Cælum fuſca non niſi nube tonat.

De Amygdalo.

19

Arbor ego ante alias sum florum prodiga nutrix,
Gutture qua caso pendula Phyllis obit.
Sanguineo haud igitur mirum si flore rubesco;
In me Phyllis adhuc sanguinolenta rubet.
Nata inter brumas brumis obnoxia viuo,
Frigoreq́; in medio nil nisi frigus obest.
Quin glacies inter varijs sic floribus ornor,
Vt dicas, hyemem ver quoq́; habere suum.
Verum pracipiti cum me quatit impete turbo,
Puluere in aduerso florea turba iacet.
Et natis viduata meis heu corpore in vno
Cogor inhorrescens funera mille pati.
O' vtinam sterili iacuissem frigida ramo,
Nec per me vlla foret, ni foret acris hyems.
Vera sed agnosco: Boreas me raptat amator,
Virgini vt Actaa florea serta gerat.
Cumq́; illi cupiat violis circumdare collum,
Gaudet Amygdalino cingere flore comas.
O' si, multiplici cum sint mihi germine flores,
Innumera frondes fertilitate forent.
Non ferrem elinguis glaciali tempore Cauros,
Et bellatoris murmura saua Noti.
Nostra at bacchantur flabra obluctantia pompa,
Et laniat nobis imber ab axe decus.
Ne possim linguis foliorum flectere Diuos,
In folijs linguas Iuppiter ipse negat.
O' verè infelix: Boreas, & Iuppiter obstant;
Et vitio est vterus, fertilitasq́; nocet.

De eadem.

20

Dum pario innumeros gelido sub tempore flores,
Turbine Caurorum florea turba perit.

At quid vana queror? nil obfuit esse feracem,
Non peperisse mihi, sed properasse nocet.
Ergo etiam muta, Sapiens, ex arbore disce;
Quæ citius surgunt, ocyus illa ruunt.

In Hippocritam.

21

Est Amor, & Pietas; sed non tibi cana Fides est;
Verè in te Soboles orba Parente manet.

In Caluam ex Horatio
Nullum sæua caput Proserpina fugit.

22

Est sine crine caput: sed si Proserpina crinem
Non vellat, fugiet non tamen illa caput.

De terræmotu.

23

Saxea dum montis scrutatur viscera Caurus,
Abditaq; arcanis ictibus antra quatit.
Credas vel pariat, vel iactet fulmina cautes,
Et nouus occulto Iuppiter orbe tonet.
Stat tuba ventorum, coniuratiq; manipli
Frontibus aduersis prodigiosa fremunt.
Læsa fremit tellus, nec non (sua pignora) ventos
Matris in exitium progenuisse dolet.
Turget inane iugum, & campum pugnantibus addit,
Aëra dum spatium vix putat esse sibi.
Sed proh mira: imis dum flabra inclusa cauernis
Luctantur Cælo liberiore frui.
Prædacesq; Aquilonum animæ, fratrumq; ruentum
Agmina conantur depopulare iugum.
Claustra relaxat apex, mons fracta mole dehiscit,
Ventorumq; illi est exitus exitium.
Fit barathrum, quo culmen erat; quæ creuit in astra,
Nunc Erebo rupes interiore iacet.

Sic ausu Enceladi tumuere in sidera montes,
Qui Iouis vltrici detumuere manu.
Anguipedumq; graues imitatur Terra ruinas,
Fataq; natorum in Matre iterantur adhuc.
At leuia heu iacto: Tellus ibi vindice flamma
Ingemuit, Natos procubuisse suos.
Hic Cauri ad fremitum, lethali turbinis ictu
Terra dolet, Natis interijsse suis.

De
eodem.
24

Non sic acrè sonans reboat terrore pilarum
Eiaculatrici plumbea glande seges.
Vt scrutans Aquilo genitricis viscera Terræ
Materna horrisono verbere membra quatit.
Euri instant, Cauriq; vrgent, cacòq; tumultu,
Vt Matrem perdat, Turba inimica furit.
In montem se tollit humus; fastuq; minaci
Aduersis flabris turget in astra iugum.
Celsa fremit cautes, gemituq; agitata remugit.
Exitijq; memor fata suprema timet.
Ventoso tandem tonitru laniata dehiscit,
Et mons infelix incubat vrna sibi.
Disce timere audax. Dum se se attollit in athram,
In propriam cladem Terra superba tumet.

In
blasphemantem.
25

Murmure qui rabido vetitum scelus ingerit astris,
Euocat in dirum fulmina sæua caput.
Miror, disrupto cur non fragor intonet axe,
Et geminus pluuio fulguret igne Polus.
At qua iacto amens? retinet furor igneus alas;
Ipsumq; horrescunt tela trisulca scelus.

De

De Crocodilo.

26

Extinctum luget fletu Crocodilus inani,
Et vacuum pietas irrita funus habet.
Sic frustra plorans, disiectam in gurgite classem
Fractis ad scopulos ingemit Aequor aquis.

Ad malum
Caufidicum.

27

Vt caput enarres causæ, vult iuris amator
Cotta; at cum nullum sit tibi mente caput,
Respondes. Causæ quid me caput edere cogis?
Astrea in Cælo non habet ipsa caput.

Abies.

28

Apta umbris orior, prærupti Filia montis,
Nobilis in patulas luxuriare comas.
Cum vix sufficiant nostris radicibus Alpes,
Nostra tamen cunctis sufficit vmbra iugis.
Tamq; audax supero minitor contermina Cælo,
Vt sæpè inferior Iuppiter orbe tonet.
Centimanum credas Briareum dum brachia tollo,
Centimanus Briareus ni minor ipse foret.
Quid tamen heu regnum iuuat affectasse Tonantis,
Frondosumq; astris inseruisse caput.
Si nunc immiti iaceo malè fracta securi,
Olim honor arboribus, nunc onus ipsa mihi.
Atq; vtinam terræ latebris excisa iacerem,
Non gemerem assiduo vulnere cæsa semel.
Morte renascenti varios traducor in vsus,
Tot mea vulneribus mortua membra patent.
Hinc tradibus suffulta meis laquearia pendent,
Et nostra excelsum ligna lacunar habet.

Inde libros seruans nostris stat machina membris,
Et per me clausas arca fagellat opes.
Quaq; alijs est blanda quies, & meta laborum,
Aeterna in pœnam mors mihi saua datur.
Nec satis hoc misera; Nerei visura tumultus
Indomiti cogor surgia ferre maris.
Aeolidum turmis, obluctantiq; procella
Iactor, & est lacera vix satis vrna mare.
Scilicet heu caci dira inclementia fati:
Non sat erat terris, ni cruciarer aquis.

De Graccho insano.

29

Dementi accedunt (Podaliria turba) Galenus,
Fert Auicenna gradus, Hippocratesq; venit.
Venarumq; expers hirsuto crine Machaon,
Et Paon tenebris ferre disertus opem.
Laxa Marsilius togula, barbaq; cadenti
Rex Ponti, mortem ludere docta phalanx.
Quin ipse aduentat sinuoso Epidaurius angue,
Et non sufficiunt pharmaca tota Deo.
Insani: In stultos frustra medicina laborat;
Quisq; potest mentem perdere, nemo dare.

De eodem.

30

Vt stulto mentem reuoces, multa inclytus arte
Mutas, Paule, artes doctè agitare soles.
Albenti helleboro viduantur iugera campi,
Atq; Hybla florum tota medulla fluit.
Quin omne Antycira vacuatur gramine littus,
Nudaturq; herbis Appula terra suis.
Non lapis vllus habet purgantes pectora succos,
Nulla peregrinas eliquat arbor opes.
Desine: quid tenebras palpas? quid inania tentas?
Stultitia est, stultis pharmaca sana dari.

In N. loquacem, ſed indoctum.

31

Antoni, rerum tubicen, cœtuq; coacto
Inter facundos garrula pompa viros.
Seu quà curuatur Pompej porticus, aut quà
Romana laxat ſe via multa foro.
Tu, pluſquam ſcribas, vis ore excultus haberi;
Vox multos, omnes ſcripta diſerta iuuant.

. Ignis vorax .

32

Flamma vorat lapides, gremioq; Trinacridis Aetnæ
Diſſolui in venas ipſa metalla docet.
Verè eſt Ignis edax; & ſe ſe proximus aſtris
Tollit, vt auratas raptet auarus opes.

De nouem hoſtijs Nili.

33

Si verè in pelagus Nilus tumet ore noueno,
Flumen habet Muſas, & mare Phœbus erit.

Diuites opibus inhiantes.

34

Expectantur opes, ſed non à diuite habentur:
In terris magnam quis neget eſſe fidem?

Ad ſenem vatem.

35

Dulcior in ſenio tu pangis carmina; cycnus
Vt mage dulcè canat, non niſi canus obit.

Celatori eximio.

36

Dextra ancilla tua tradit ſua marmora Synnas,
Et niue candidior dat tibi ſaxa Paros.

Quis

Quidq; lapis virides imitatur montibus herbas,
Flauaq; in Nomadum rupe colore nitet.
Et vix inseruit, qua diuite merce renidet,
Saxo fœta Chios, marmore clara Thasos.
Dumq; animas, cælum tractans, in corpora rupes,
Est verè Cælo dextera digna tibi.

De Cælio.

37

Virtute fulget Cælius; stellas habet.

Ad paginas sui libelli.

38

Vt populo placeas, non sis mihi Charta diserta;
Ingenio genius fertiliora parit.
Vt doctis sapias, sis pagina culta Mineruæ;
Nam genio ingenium splendidiora creat.

Inutili vestium domino.

39

Ingens est tibi vestium supellex,
Te centumculus, & crocota ditat,
Mimo cognita, tradita Histrioni;
Et Turba Cynica iocos serentis
Amica Internla, atq; Stoïcorum
Cognata Tunica arculas flagellant.
Quin & te spolio magis nitenti
Beant deliciæ superbiores.
Saturnalia synthesis vetusta,
Et natalitios dies lacerna
Per te iam renouat: Remoq; nati
Antiquos Trabeæ vident honores.
Ducum stat tibi syrma barbarorum,
Et contra Boreæ niualis iras
Græcis pallia fimbriata seruas:
Tu verò glacie inter hæc rigescis.

Ab omnibus cauendum.

40

Si sapis ipse, caue vel inani à Thaide: inani
Vel Nubes fabricat fulmina dira sinu.

De vi oratoria.

41

Proh mira: es prauus, si ius corruperis are;
At si corrumpas ore, disertus eris.

Decocto mendaci.

42

Tu cunctis das verba, negas tamen omnia cunctis;
Rethor es, vt possis omnibus esse reus.

In furem carminum.

43

Cum tu, Paule, canas inerte Musa,
Versus ex alia tonas Camœna:
Dum vates minus es tibi, es poëta.

Sapiens dominabitur astris.

44

Inter nos astris regnat Sapientia victis,
Fatorum sacras non subitura minas;
Sint illi stabiles mansuris thuribus aræ,
Et Sorti illudat Filia cana Poli.
Seruum in se Cælum domitrix Sapientia claudit;
Hac duce, Fortunam vincere quisq; potest.

In diuitias.

45

Sint mihi diuitiæ, sed non quas Crassus habebat,
Nec gemmans Cyri Regia fundat opes.

Splen-

Splendeat incassum Nabathai concha Tyranni,
Nec ditent epulas aurea vasa Midæ.
Per me omnis frustra iactetur gaza Luculli,
Nec micet aulæis ambitiosa Pharos.
Displiceat, Lydo quæ flammat purpura Crœso:
Qui concessa petit, vilia dona cupit.

Lullo poëtæ
carmen pollicenti.
46

Pollicito das, Lulle, mihi de carmine verba;
Decipis, & Libyco sunt data verba Noto.
Votis ipse meis ludor. Dum quæro Poësin,
Ne sis fortè precor, Lulle, poëta mihi.

De stulto
47

Incassum venas bacchanti, Auicenna, retentas,
Et frustrà Pæon quæris anhelus opem.
Sunt succis viduata suis tibi pocula Chiron;
Artem exhausisti, docte Galene, tuam.
Dat Nereus vires ignoto è littore inanes,
Nec Marsis prosunt germina lecta iugis,
Hesperia arenti non sudat fonte salubris,
Albula sanando languit ipse malo.
Hellebori absumpsit messem vis improba morbi;
Vanuit Etrusco lingua petita sinu.
Campanas siccauit aquas Insania vecors,
Baiarum epotis aruit vnda vadis.
Pharmaca si demens absorbeat omnia; nunquam
Perdere stultitiæ semina prima potest.

De fonte Gygantis.
48

Longè vt vibret aquas, gelida sub caute latescens,
Disrupto Enceladus tergora monte leuat.

Ex-

Excuſſiſq; tonat nymbis, & diſijcit auras,
Et refuga algenti fulmine Terra pauet.
Nubem diſſoluens eructat lympha ſonantem,
Et quatit effracti viſcera anhela ſoli.
Sed Terra vt vidit, quod mirè fulguret Vnda;
Reſtitit, & damno geſtijt ipſa ſuo.

Ad Leonem N. periurum.

49

Iuramenta, Leo, ſunt noſtra vincula mentis;
Nec voto aduerſo ſcinditur aqua fides.
Ne temerè facili periuria pectore fundas;
Nam tacitis alis noxia Pœna volat.

De adulatione.

50

Quiſquis adulatur, celeri veſtigia greſſu;
Hinc aliò vertens, longius ire paret.
Ite procul molles (animi ferale venenum)
Illecebræ, altrices criminis ite procul.
Non me (dulce malum) iuuet inſidioſa Voluptas;
Quæ blanda eſt Siren, nuncia Mortis erit.

In Otioſum.

51

Stare cupis? putreſcit agris immobilis Vnda;
At nullum vitium ſollicitata capit.

De Aulico.

52

Optimus ante fuit, melior nunc fertur in aula:
Mox cum deſierit, deſinet eſſe bonus.

De

De Hyeme, & Aestate.

53

Vrit Hyems, Aestasq; vrit: quid noscere possum,
Sicca Aestas si idem est, & glacialis Hyems?

De audaci
machinarum inuentore.

54

Ne Faber arte potens naturam vincere tentes,
Dædalus esse nequis, Icarus esse potes.

Sculptura Simiolæ.

55

Simiolam, gelido quam vestit tegmine marmor,
Dicas, in gelido marmore luce frui.
Nam docto artificis sic spirat viuida cælo,
Vera vt displiceat, tam benè ficta placet
Quæ ne ficta putes, si flagra minabere tergo,
Dentibus infrendens non timet illa minas.
Docta mouere pedes, si non lapis inuidus esset,
Duceret inuidia maior in orbe choros.
At quæ fingo leuis? iam duxit in orbe choreas,
Et modò saltandi fessa labore iacet.
Ne mihi nunc ergo Mimos iactate, Quirites,
Cum Mimos habeant iam quoq; bruta suos.
Immo cum Mimis si certet Simia, maior
Simia, vel Momo iudice, Mimus erit.
Ingenium si nosse velis, dedit Itala tellus;
Noscere si fraudes, Africa terra tulit.
Tam varia varios imitatur Imagine mores.
Tam varia varios induit arte viros.
Huius ad intuitum credas lapidescere vulgus;
Sic sensum, vt sensu polleat, illa rapit.
Obtutu hic hæret, stupet hic immobilis ore,
Vnum & apud marmor marmora mille vides.

Nil

Nil igitur mirum, si firmo Simia gressu
Viuax in gelido marmore tempus agat.
Obstupet, atq; homines imitans, dum corpora cernit
Conuersa in lapides, est quoq; facta lapis.

De
peregrinante.

56

Rhenum adij, Rhodanumq; bibi; mox littus Iberi
Intraui; at nunc me Tybridis vnda tenet.
Orbi cum nutrix rerum sit Dardana Roma,
Roma mihi pro Orbe est; cætera terra vale.

Exempla
doctrinis potiora.

57

Hiulca me non ora Democriti tenent;
Samiusuè labijs erudit tacitis Senex,
Aut impotenti pectore, & forti sono
Panætij me turba clamosi monet;
Nec me diserti porticus Cecropis frequens,
Aut veritatis arbiter Socrates iuuat:
Sed Molium cadauere, & Procerum regis
Sat insepulta busta me Roma docent.

De Tybride restagnante
sub Clemente VIII.

58

Dum furit huc Tybris; Clementis Numina fassus,
Clementes didicit Flumen habere minas.

Restagnauit
die xxv. Decembris.

59

Huc vnda inclemens dum sub Clemente superbit;
Pacis Rex oritur, Tybridis ira perit.

De
Cochlea.
60

Abdita natiuo qua turget Cochlea tecto,
Atq; vno secum tempore cuncta trahit.
Vt sua tecta colat fabris non inuidet artem;
Illi est Natura fabra magistra manus.
Dumq; rigescit hyems, & feruet Solibus æstas,
Imbres, atq; æstus ludere tuta solet.
Repit humi, plaustris non concessura Scytharum;
Nam, quò se vergit, hac vaga tecta trahit.
Quin Scytha si propria seiunctus viuit ab æde,
Hac eadem domina est, & domus vna sibi.
Cornu tentat iter, nam cornu lumina gestat;
Et, cuncta vt videat, celsius illa leuat.
Cumq; alijs Aurora pluat rotantia dona,
Dignius hæc proprio rore superba viget.
Nec Doris iactet; leuiter quod in æquore Naues
Argenti sulco cærula regna notent.
Hæc stabili spumans argento compita signat,
Argentiq; palam sæcla vetusta nouat.
Thesauros ergo quid, Auare, reposcis ab vnda;
Si pretio hæc ditat nobiliore solum?

Ad
Cinnam de maledico
eius carminum
Libro.
61

Archiloco dignum dum pangis carmine librum,
Non librum dices Cinna, libellus erit.

Pauperi.
62

Gazas nitentes spernis; at nullas habes.

Ad

Ad
Fabullum.
63

Dum polles pedibus, valesq́; visu,
Tu Lynci copulas, Fabulle, Lynceum.

Fulmine ictus
recto corpore interit.
64

Armat flammantem dum Iuppiter æthere dextram,
Et rabies trifidum fulmen hiulca iacit.
Sulphureo tactus telo, pede rectus inhæret,
Nec pronus terris fulminis igne perit.
Iam certè rueret morienti pondere; at ipsa
Fulminis ad tactum Mors stupefacta riget.

Maledico
loquaci.
65

Non cum felle ioci, salibus non dicta proteruis,
Rubigo Satyri nec tenebrosa iuuet.
Quod tacuisse velis, ne liber profer in auras;
Quæ mens est hodie libera, manè timet.

Captatori.
66

Cum nemo gratis temporum expendat moras,
Diti, & pupillo dum tuum iungis latus,
Amica latera iam spei certa locas.

Negotiator infirmus
medico.
67

Vt pereat pituita, paras quid pharmaca, demens?
Intereat bilis, sit pituita mihi.

Poë-

Poëtæ nullius momenti.

68

Si te cuncta rudi delectat scribere versu;
Te saltem melius nil recitare iuuet.

De Lucubratione nocturna.

69

Dum doctè vigilata mihi Nox haurit oliuum,
Vt melius noscam Pallada, Pallas obit.

Laudat amicum in aduersis.

70

Carole, quem varijs agitat discordia curis,
Nesciaq; infisti lubrica fata manent,
Non flexa ceruice times tot pondera rerum,
At stabilem in plano figis amice gradum.
Nunc alij magna damnorum mole premantur;
Tu colla ærumnis inuiolata leuas.

Ad Lyconem causidicum.

71

Postquam centeno tractasti iudice causas,
Clamoso remeas irrequiete foro.
Si dormis, longa ducturus commoda vitæ,
Excute somnum; hoc est, viuere nolle, Lycon.

De Acone optimo causidico.

72

Dum causis acuit linguam, dum Ciuica iura
Tractat Acon, rauci gloria rara fori.
Implet turba locum, qualis visura triumphos
Agmine densato compita longa replet.
Par resono vocem mittit facundia Rheno.
Et catus omne sua diluit arte nefas.

Si pietas absit, iudex hoc dante quiescit;
Et mentem ex illo pondere quisq; regit.

Auarus
hospiti suo.

73

Succedis nostris ingrate penatibus hospes,
Et sede exceptus munera nulla locas.
At mensas per me Pharias rudis aduena adisti,
Pressisti pictos nocte tacente thoros.
Nil ergo fuerit, quod prabens hospita tecta,
Exhausi patrios in mea damna lares?
Iurè mihi gazam debes; à Sole cadente
Gemmas, hospitij munere, Iberus habet.

Diuiti
prodigo.

74

Omnia diues habet, sed qua tamen omnia perdat.

Ad Homerum.

75

Te iam quisq; vocet Salamino puluere natum,
Quauè suum tollit Smyrna superba caput.
Te iactet Chium, aut laudet Colophonis alumnum;
Dignum Orbo regnum non satis Orbis erit.

De laude
Virtutis.

76

Non ambit Virtus solio dare iura Latino,
Aut hostile truci subdere Marte iugum.
Nec picturato titulos emblemate ferre,
Aut aurata Tagi sollicitare vada.
A' clara Virtus ducit sua fœnora Laude;
Altera ab Alterius fulgida surgit ope.

In

In Tullum calumniatorem.

77

Tullus Auernali ſurgens è nocte minatur,
Et ſtupidum tetro nubilat ore diem.
Horrentes reſerat mordaci gutture rictus,
Atrum lethali virus ab ore vomit.
Sic atrox Python vaſto minitatur hiatu;
Sic fera liuenti territat Hydra iuba.

Ad vatem, qui tantùm nomini ſtudebat.

78

Quæ de te iactat, Vates, alata Miniſtra,
Non ſunt carminibus nomina parta tuis.
Mens mea ab ignoto nunquam eſt Helicone rigata;
Et ſitit ad verſus arida facta tuos.
Iam ne paſce aures, fama nec diuite gaude;
Nauſeat in noſtris auribus ipſa gula.

Ad Camœnam.

79

Canora Virgo, quæ rotantium Orbium
Tuos volumen aureum ad ſonos rapis,
Potente vecta plumula aërem ſecans,
Amica dulcè barbiti modos cane.
Tibi micante largiter fauens ſinu,
Deam Cithera ab axe Iuppiter pluit;
Noto æſtuante circini vndulant leues,
Et aſtra fronte bina flammulas rotant,
Amans corymbus ornat aureum caput,
Sacraq; fronde pendulas beat comas;
Mari nitente ſyrma lucidum fluit,
Eburq; plectra veſtit Indicum tibi.
Nocentis inter acre ſæculi malum,
Acerba cura vt auolet ſinu procul,
Faceſq; dulcè ventilet Gnidi Puer,

Pa-

Parens Apollo Vatibus tuum dedit
Ab axe Numen; erudita Pegasis,
Caui magistra lasitans crepundijs,
Tener cachinnus, & procax amœnitas.
Ades, Camœna, concitans sacrum Genus,
Leporis architecta, gaudij comes,
Iocis amica Pieris, dolis potens,
Perennitatis arbitra, & lyra Dea.
Manuq; docta spiritum chely dare,
Scatente ab ore copia fluens sona;
Et interire pallidum Chorum nega.

Indocto bibliothecæ studioso.

80

Stat vacuum ingenium; sed structa volumine multo
Magnis ducta opibus bibliotheca tibi.
Sic mente, ac nummis viduaris, & aspicis amens,
Sed non diuitijs inspicis empta tuis.

Viro malè industrio.

81

Ipsa re grauum, non verbis esse studeto;
Et multo, quæ sunt pulchra, labore para.
Verè in te Virtus forti sit pectore constans;
Dulcè est impauidis dura subire viris.

In Scythas.

82

Quis Scythicæ gentis non damnet inhospita corda,
Exul si Scythicis est quoq; Phœbus agris?

Fortis in aduersis.

83

Inter procellas imperj mihi mens viret,
Nec sauientum turbinum horresco minas.
Vnda Zacynthus nutrit in media nexius,

Frustra beatas Insulas Nereus quatit,
Delosq; in ipsis fluctibus Phœbum fouet.

Prauo Nouatori.

84

Cùm stringis calamum, tibi fatiscit
Mens diro grauiter tumens veneno.
In clarum Fidei ferox nitorem
Effundis nebulas, truciq; ab ore
Lutheri saniem vomis nouator.
At si clara tibi luem amouere
Putri pectore Veritas laboret,
Crudescis Podalyrio inquietus;
Nec mulcet cataplasma cordis æstum:
Premit te Libitina nauseantem.

In furem bellatorem.

85

Fur olim, in hostes bellicam clauam rotas:
Fieri Tonantis genitus è Caco potes.

Ad librum amici.

86

Liber, lapillis Indicis,
Qui rore gemmant calico,
Tu carior mihi venis.
Marulle, amorum nunc iocos
Euro sonanti fundito:
Donanda Creta fluctibus
Canas, Properti, basia:
Catulle, Lesbiam fuge,
Cui Numen Idali placet.
Te luce mentis perlegam,
Te sedula prehendam manu:
Tu iam Camœna diceris;
Tu Phabus adsis iam mihi.

Hoc

Hoc effluente carmine
Non author est venustior;
Hoc blandiente spiritu
Non lector est amicior.

De
Crispo.
87

Fortuna maior temnit mortalia Crispus,
Et par Virtuti concipit omne sinu.
Nil breue quod reputet, studio molitur inani,
Aula nec vana perfida tecta subit.
Corde, animo, vultu prudens, generosus, honestus;
Venturis fastis omnia digna loqui.

Poëtæ
in carminibus nimis diffuso.
88

Exeat immissis laxus si palmes habenis,
Frustra luxuriat liberiore coma.
Dum nimium densis circumdat nexibus vlmos,
Brachia tonde sagax, falce retunde comas.
Imperium exerce ferro, & compesce racemos;
Dat Cælo steriles libera Vitis opes.

In malum
Poëtam.
89

Quid triplicata mihi repetis tua carmina? parta
Dum malè percipio carmina, nulla canis.

In
frigescentem.
90

Arida Sextiles Idus Aurora reducit;
Et tua brumalis membra December habet.

De Leonis signo.

91

Dum terror Nemeæ sæuit, dum Sirius ardet,
Ora siti arescunt, corpora morte gelant.

De suo natali sub Aquario.

92

Stellanti natale mihi dedit Vrnifer axe:
Nil mirum Aonij si placet vnda Dei.

In togulam Pædagogi.

93

Quisq; tuam lacerat togulam, quam decolor ætas
Prædaci potuit dilaniare manu.
Sic annosa rudi scinduntur iugera ferro,
Sic celer vndosa se rota mole gerit:
Dispergit tenui sic viscere aranea telas.
Autumni folijs sic color ipse cadit.
Sed cum pallenti specie sit trita lacerna,
Non est ingenio tritior illa tuo.

De Cantu.

94

Ad Cantum iam Phœbe veni; mihi carmina Cantus,
Et doctum numero multisonante Melos.
Tange chelyn, digitoq; auras impelle loquaces,
Vocaliq; iuua dicta canora manu.
Magna peto: summo vox est in Numine Cantus,
Et dum tu loqueris, non nisi Phœbe canis.
Armonico voluunt se celsa Volumina lapsu,
Et se, se ad numeros Astra citata ferunt.
Sidereos inter radijs plaudentibus Orbes
Assiduo reboat murmure amica Lyra.
Dat pede stellanti resonantes Pegasus vndas,
Et victo æternum funere gestit Olor.

Ipsa Polo Siren musica rotat æthera dextra,
Et Polus in Terris dicitur esse canor.
Cœli sic voces imitans auis Attica cantat,
Et querulo quamuis gutture dulcè tonat.
Sole sub ardenti respondet Achantide dumus,
Et longè Alcyonem littora pulsa sonant.
Hinc ramis hærens implet caua vocibus antra,
Hinc surgens alis aëra mulcet Auis.
Cum stat Gange Dies, Mauro cum tramite anhelat,
Cumq; Tago recubat, omnia Cantus habet.
Quid Stygis est vmbra grauius, quid sæuius Orco?
At paret musicis Orcus, & Vmbra modis.
Parca ferox olim Vatem timuisse canentem
Fertur, & attonita fila stetisse manu.
Tisiphone gelido formidans palluit angue,
Nil valuere truci guttura terna Cani.
Dedidicit Tityus stupefacto vulnere pœnas,
Torpenti ad carmen restitit Vnda vado.
Ad cytharam stabili saxo tunc Sysiphus hæsit,
Audijt Ixion dicta morante rota.
Tetra supercilij Rhadamanthus nubila pressit,
Et dum clamat amor, criminis vrna silet.
Quem nescit pietas, mouerunt carmina Plutum,
Et blandè irarum Regia victa fuit.
Sic Cantus meruit, cuius dulcedine amica
Se sociam infræni Tygride iungit Ouis.
Agna Lupo plaudit, cum Dama germine ludens
Cognatum in syluis Vrsa cubile tenet.
Aures marmor habet, resluo pede labitur amnis,
Velox est abies, motibus aura caret.
Hoc Cœli dono rabies mitescere discit,
Algentiq; sinu feruet anhelus amor.
Ars iam nota Dijs: ad Cyrrha murmura Clio,
Phœbus ad Amphrysum, Pan canit inter oues.
Nil Cantu est vetitum: modulamine cura leuatur;
Quod nequeunt vires, obtinet arte Melos.

In Zoilum natum mense Nouembri.

95

Iam scio, cur lædens lethali vulnere mordes?
Cauda venenifera cor agit vnca Fera.

In desidem.

96

Phœbus ter gemina lucis iam germinat ortum;
Nec clarum reuehit lux tibi prima iubar.

Docto maledico.

97

Es sapiens; at Cinna tamen vomis ore venenum:
Sceptrum facundi Numinis angue viret.

Ad malum Poëtam, qui digito pretiosum annulum gestabat.

98

Mira cano: nigrat tibi sapia fusca papyrum,
Aurea in articulo sed tua gemma nitet.
Dum non elucet carmen, sed dextera gemmat;
Inculto Phœbo stat tibi culta manus.

In seuerum.

99

Quid personata turgescis, Regule, fastu,
Atq; supercilio nubila ducis atrox?
Horror Fabricij periit, cecidere Catones,
Et mersus longo funere Sanctra iacet.
Curtia non virtus, non tu salebrose Camille,
Nec tu Censoris munere, Flacce, viges.
Occidit Attilius, tegitur Messalla sepulchro,
Nec remanent cineres, Brute seuere, tui.
Quid nunc pallenti surgis tenebrosus ab vrna?
Lux vmbras odit, lumina Phœbus amat.

De

De Hiſpano,
qui erecto vultu ambulat.
100

Nil mirum, erecto ſi vultu incedit Iberus;
Grande ſupercilijs ſuſtinet Orbis onus.

In librum
Poëtæ.
101

In lucem pandis dum raſum pumice librum.
Pangis & æterna carmina inuncta cedro.
Se, quamquam mutis, animant tua nomina chartis,
Vocaliq; ſonant murmura clara fide.
Per te laurigera Cyrrhæo ſponte ſub antro
Gaudent ad cantus inuigilare Deæ.
Orpheus iam numeris cupit emollire Leones;
Cerbereaq; poteſt ora domare feræ.
Raptant auritas Heliconia carmina quercus,
Et chelys à Rhodope ſeuocat omne nemus.
Ad fontem Hebre redis, & Strymonis vnda ligaris,
Cogeris Alpino Caucaſus ire pede.
Si cytharam pulſes, Caprea Lynx ſtabit amica;
Et Panthera ſono luxuriabit amans.

In hominem
dicaciſſimum.
102

Cum, pluſquam inuidia, laceres me ſæuiter ore;
Pluſquam animo Timon, es mihi dente Theon.

Ad Abellum
malum Poëtam.
103

Semper Abelle canis; pereunt ſed carmina; Cycnus
Quis dubitet, funus num canat ipſe ſibi?

Iuueni poëtæ
Heroica aggredienti.

104

Dum pulsas tetrico vocales carmine fibras,
Assuetus iuuenes plectro agitare iocos.
Tu nimium chordis Phœbaum barbiton armas,
Et fracta tentas murmur inane lyra.
Vanaq; Amazonij repetens insomnia Vatis,
Termodontiaca stat tibi Musa tuba.

In detractorem.

105

Morsibus est virus, dens liuida fata minatur;
Qui sic insanè mordeat, anguis erit.

Viro docto.

106

Iam vox gesta canens parilem te tollat Olympo,
Murmuris Hesperij testis Eous eat.
In laudes viuis; & si sunt corpora morti,
Non sunt lethali nomina danda rogo.
Nullo iam casu, nullo iam debilis æuo
Traduces memori posteritate diem.
Trans terra spatium, trans Nerei diceris oras;
Quod prastant cineres, dat tibi vita decus.

Poëtæ
Tragico, Lyrico, & Heroico.

107

Numinis Aonij tu verè es maxima cura,
Permessiq; nitor, Castalidumq; decus.
Tu Tragico plorans Orchestram syrmate verris,
Et Lyricas vario ludis amore faces.
Tu claris Heroa tubis in pralia ferues;
Cumq; vnum os resonet, ternus Apollo canis.

De

De suaui
Oratione.

108

Infanti scateat Mopsopia stilla Platoni,
Per te iam sermo dulcia mella sapit.

Ad Poëtam Heroicum.

109

Multi Rhetoricen, quæ carpit amabile pratum;
Et multi Sophiam, quæ subit astra, canant.
Ast alijs rabiosa Fori sint iurgia curæ;
Martem te Pæan are ciare iubet.

Ad Arnum
de Poëtis Etruscis.

110

Dulcior Ascræo resonas, grauis Arne, susurro;
Nec satis est nidus vatibus ipse tuis.
Sunt tibi, dum Lyrico turges Etruria fœtu,
Stesichori plures, & Philomela frequens.

Ad Romam
de sene docto.

111

Doctum haud sperne senem: Moles ætate ruentes
O Roma, ingenij sunt monumenta tui.

De malo Poëta.

112

Ter miser heu Vates, dum fagi tegmina cantas;
Occinit heu nutu Gratia nulla tibi.
Pinguia dum miti resonas sub sidere rura,
Accinit heu versu nulla Camœna tibi.
Bellica dum profers Heroo carmine signa;
Annuit heu cantu nullus Apollo tibi.

Ad iuuenem folle ludentem.

113

Quid iuuat aërios in nubila condere folles,
Et terere ætatis tempus inane tuæ?
Impellunt auras tumefacta flamine pelles,
Lignea multiplici brachia dente sonant.
Ah miser, heu rapida tibi luditur alea vitæ;
Artibus ipsa suis victa Iuuenta perit.

Ad malum causidicum.

114

Curia clamoso per te dolet acta boatu,
Audax in vario bella tonare foro.
Iam per te latè Capitolia voce resultant,
Et longè moles Aelia fracta sonat.
Rauca Quirinalis geminauit murmura Collis,
Et Vaticanum reddidit icta iugum.
Sic, tua per Colles dum vox infracta remugit,
Et sine mente furis; diceris Echo fori.

De humanis defectibus.

115

Dic quibus in terris, nec eris mihi paruus Apollo,
Vmbris Sol careat, crimine Turba vacet?

In Scæuolam
hymnos scribentem.

116

In Lyricis generosum hymnis te Scæuola iactas:
Nam verè, dum hinnis carmine, Pegasus es.

Homini leui, ac vano.

117

Cum sis mente leuis; Tusciq; in prælia euntes
Inflent ore tubam, Cretaq; pulset ebur.

Thraces cornu vlulēt, & Arabs caua cymbala tăgat,
Tu castris Arabum bella ciere potes.

De Virgilio,
& Homero.
118

Arma, Ducemq; canit geminato in carmine Maon,
Vno Virgilius bella, Virumq; docet.
Qua sparsit Maon, Andinus in ordine legit,
Contenditq; suo Romula Musa Duce.
Nec Graio obijcies Italum didicisse Magistros
Tam benè qui didicit, plus docuisse decet.

De
ijsdem.
119

Si dubio traheris studia in contraria motu,
Romulus, an Graius celsior ore tonet.
Maona Virgilio confer; verba eruit ille
Ex Opere; ex verbis exprimit alter Opus.

De viro litterato,
dum Vrsinis inseruiret, extincto.
120

Qui placidè Terris, Vrsino Principe, vixit,
Astra idem, Vrsino Principe, tutus adit.
Nil mirum, placidè Terris innasse, Poloq;
Inseruisse caput; si fuit Vrsa Polus.

Augustus vetat
opus Virgilij cremandum.
121

Proh scelus infandum; gemino num torreat æstu,
Bisq; alio flagret Troia cremanda rogo?
Casaq; ob Aenean, ficto sed vulnere, Elisa.
Verius Augusti num cadet acta manu?

Parcite: sat Graia Troiam exarsere fauilla;
Cumq; Phryges fuerint, incaluere nimis.
Non morte, vt Phœnix, vitam Phœnissa resumet;
Sed certè, vt Dido, sat dedit illa neci.
At pietas legum, & sacri reuerentia iuris
Iussit, vt æternum flamma aboleret opus.
Impia proh pietas proh iura iniusta; quod ætas
Vix tam longa tulit, hauriet hora breuis?
Flamma recede: mea iam stat sententia menti,
Vt iussisse illi, sic vetuisse mihi.
Spiret inexhaustum, sæclorum turbine viuax,
Citra flammarum damna Maronis opus.
Ius violare pudet: Romani at gloria Homeri
Vt Mundo regnet, ius violare decet.

De Scriptore distichorum.

122

Disticha qui scribens, acuit breuitate Camœnam,
Vincere cum nequeat corda, ferire cupit.

Ad Aegyptum de Campis, & Nilo.

123

Herba vndas, pelagoq; vires, & campus, & æquor;
Nunc fugiente salo, nunc pereunte solo.

In malum Pictorem.

124

Iam te Potentum in æde prædicas notum:
Per te figuris templa nunc coli iactas,
Multos parietes crimine & tuo pingi;
Tuaq; clarum linea Polum vergi,
Doctisq; tabulis omnium capi visum:
Tuum æmulare Hymettias opus Fabras,
Cooq; Apelli lauream eripi dextra.
Testem requirit Pictor; in tuo lino.

Cum

Cum nil minus sit linea, hanc peto testem:
Te vel fatetur linea esse non Coum.

Iuueni intonso.

125

Artifici ferro flores depone comarum,
Hirta stet barba nulla corona tibi.
Crine indetonso sterilescunt germina campis:
Cum tonsum fuerit, ver iuuenile viget.

In Marcum vbiq; loquacem.

126

Omni ne iactes temeraria verba Lyceo,
Nusquam Marce sapit, quisquis vbiq; sapit.

Homerum commendat.

127

Longè alij Phœbum quærant Helicone sonantem:
Dum iuxta est Maon, maior Apollo sonat.

Inuitat annosum amicum
ad poësim.

128

Sat iam sparsisti consulti iurgia Pauli,
Et per te docuit sat grauis ore Cato.
Satq; Stagiraæ voluisti dogmata sectæ,
Et tractasti ingens sat Ciceronis opus.
Emeritam Musis sapiens nunc trade senectam,
Intonsus semper stat Helicone Deus.
Huic Hebe tradit iuuenili pocula dextra;
Nullo æuo Pæan insenuisse potest.

N. minio sibi
vultum pingenti.

129

Pingis te fatue: es ferox Gelonus,

Laboranti.

130

Texe moras operi: flabra acclinata residunt;
Blandosq; in somnos æquora fessa cubant.

De Homero.

131

Iam Vatum decus, & Deum disertum
Claro Bactra solo colunt Homerum;
Alcidæ celebris Columna plaudit;
Se Nilus Phario citat recessu;
Aeternasq; faces rotat Bootes:
Angustus tamen est in Orbe Mæon.

In poëtam stultum.

132

Pharmaca ab Antycira cur irrita sumere tentas,
Et stulta vates credier arte putas?
Nil tibi (crede libens) vt te dementia soluat,
Est satis helleboris Insula tota suis.

Poëtæ inepto.

133

Vnicæ cur demens tentas penetralia Cyrrhæ?
Tertia Cyrrha tibi non satis esse potest.

Ad poëtam
summi nominis.

134

Induxit dubias olim spes credula mentes,
Phœbum Aganippæos ducere in orbe choros.
Sed tandem noui vana hac insomnia; nullum
Verticis Aonij Phœbum habitare nemus.
Deserta est Helicon rupes, (mihi crede) nec vlli
Cognita, & excelsi nil nisi nomen habet.

At

At modò mens se se studia in contraria vertit,
Dum tibi Apollinei Numinis unda fluit.
Per te namq; Erato vasto tonat altius ore,
Doctaq; liberius Calliopaea furit.
Iam verè credam regnare Helicone Sorores;
Et Phœbum esse reor, dum mihi Phœbus ades.

De Romanis poëtis.

135

Vates Roma colit. Nec mirum; nomine eodem,
Et virtute pari Roma, Maroq; sonant.

Poëta ineptus
gaudebat albenti charta scribere.

136

Albenti charta verè tua carmina candent;
Nam tinea morsus pallida scripta pauent.

De anni principio
ad sapientem.

137

Annus abit, medioq; trahit de funere vitam,
Ipse sibi genitor, filius ipse sibi.
Nunc rapido cursu Iani rediere Kalendæ,
Quæ celeri quondam prætèriere fuga.
In se se rediens ætas fugitiua recurrit;
At tibi Sol rediens non fugitiua feret.

In librum docti Scriptoris.

138

I Liber, Aoniæ proles doctissima mentis,
Palladis in templo conspiciende Liber.
Tu Sophiæ radijs, laudum tu luce decorus,
Obscuri tenebras discutis ingenij.
Vanos ex alijs frustra meditaris honores;
Virtus ipsa sibi sola perennis honor.

In Abstemium Poëtam.

139

In cantum inflammet. quod fons Heliconius vndis,
Non nisi sit nostris fabula ficta iocis.
Dum canis, Abstemi, friges: Sit Phœbus Iacchus:
Non benè patrat opus, qui malè potat aquas.

Ad sapientem.

140

Temporibus dubijs rectus, cautusq; secundis
Es nobis Sapiens, & tibi fata creas.
Summum Calestis tradit Sapientia robur;
Atq; in te superat prima iuuenta senes.
Ingenium largè diuinitus, astra dederunt,
Et nisi sidereum nil tibi mente nitet
Canities animo laudatur, & auctior intus
Vis animi est: nostrum Nestora tempus habet.

Aduersantia.

141

Regiam amat Sapiens, armisq; inseruit Amator:
Hoc est cum genijs belligerare suis.

Ad Alenium
de Polyanthea.

142

Aleni, Actaa præsens tutela Minerua,
Cui sapiens docto pallet in ore color.
Omnia in hoc vno cernes clarescere libro;
Quodq; volumen habes, hoc tibi lumen erit.

In seueros.

143

Sunt personati (non pondus amabile) Fastus;
Et Virtus horret tetra supercilia.

Hinc

Hinc longè Scauri, & saua cum fronte Catones,
Hinc aliò Fabij, Fabricijq; senes.
Sit procul assertor cum maiestate Camillus,
Et dempto Curius frigeat igne mihi.
Iam rigidas renuo laudes; iam nubila frontis;
Non semper grauitas pondera mentis amat.

Sapienti.

144

Saua iura Stygis Virtute sub auspice vincis,
Nec cursus Aetas in tua damna rotat.
Aeternùm Virtus manet incorrupta vigore;
Omnis conditio Mortis adempta tibi est.
Pollice iam triplici ducunt tibi stamina Parca;
Fortiter, inuito Funere, sacla trahis.

Ad Alconem
de fortuna.

145

Sunt omnes, Alcon, dubia felicibus hora;
Ni sapiens, felix viuere nemo potest.
Inuenies Sortem; sed non Fortuna tenetur;
Cum magis illa venit, tunc minus illa viget.

De ira.

146

Ira recrudescens dum vibrat fulgura vultu,
Sauas horrenti nunciat igne minas.
Triste capillato sic mittens vertice fulgur
Asperat hirsutas torua Cometa faces.

Ad amicum,
vt contemnat Fortunam.

147

Despice Fortunam; res est Fortuna diurna;
Non dat, sed prabet mutua dona tibi;

In
Cenidium panis furem.
148

Impie, ne Cereris donum furere, Cenidi:
Pœnarum, Cereris Filia, regna tenet.

Amico
aduerſa timenti.
149

Siccas ore genas dum Sors videt arbitra rerum,
Dura Virtuti diſſona, hebeſcit iners.
At contra mœror cum triſtè obnubilet ora,
Quem pauidum nouit, Sors truculenta ferit.
Ne plorans igitur cura expalleſce ſiniſtra;
Impauidum vultum territa Fata pauent.

De Poëta Italo
Latino.
150

Iam lauro malè cincta comas tibi Græcia cedat,
Vatum laus ingens, Italiaq; decus.
Namq; vnum terris ſi iam dedit Attica Homerum,
Eſt tibi nunc duplex, Itala terra, Maro.

De ſapiente
ira percito.
151

Quamuis triſtè minax feritas exaſperet ora.
Et mentem impellat, præcipitetq; furor.
Altè dum ſpirat ſapienti in pectore virtus,
Et prudens pellit nubila fronte nitor.
Mitis bacchanti pax dulcè in corde recurſat,
Et blandè ſauis moribus ira cadit.
Sic dum blanda ſuis Zephyrus ciet ocia pennis,
Sæua procelloſi detonat ira maris.

Ad sapientem
de diuitijs.

152

Contemne Sapiens Regum opes: apricanti
Diogeni officit vel umbra Regnantum.

De Modestia.

153

Prona solum spectat velata Modestia frontem;
Et semper dignum se meditatur opus.
Et quamquã elinguis, vultu haud nocitura loquaci,
Quæ facienda monet, quæ fugienda docet.

De niuibus.

154

Nix verè est vellus; nam tecta hoc Terra calescit,
Vt sua fertilior germina Vere creet.

Ad Astrologum.

155

Conscius astrorum, fortunarumq; peritus
Dicis. Dux Aries fulget ab axe tibi.
Illi Sidoniæ raptator Virginis ardet,
Tyndaridæ huic Pueri mitia signa ferunt.
Aequoris hunc Hircus lustrat, hunc lucida Virgo;
Hunc Libra, hunc Chiron, hunc Leo fauus agit.
Vrniger ast alijs, Pisces, & Scorpius errant:
Tu Cancro mendax indice cuncta refers.

Horologium.

156

Ferrea sum moles, tacito tamen impigra casu
Voluor; & est virtus, motibus astra sequi.
Verùm in me rediens moneo irreuocabile tempus;
Et non ore sonans, fortiter ore loquor.

De

De Terebra.

157

Cum rigeat duro Berecynthia cortice buxus,
Ars Terebram, vt penetret corpora dura, dedit.
Dente tenax primum leuis imprimit oscula ligno,
Vt tacitè plagas viscera in ima ferat.
Turbine nam cœco latebrosa in membra rotatur;
Et facilè in valido corpore quærit iter.
Lentis vulneribus, non impete robora frangit;
Et pollens astu fertur in alta calybs.
Sic dum mordetur clam torta cuspide buxus,
Qui noscet Terebram, nouerit Artis opus.

De Virtute.

158

Quà Titan pandit lucem, quà claudit Olympum,
Auster quà Numidum regna perurit atrox,
Quauè Lycaonius sicco gelat axe Bootes,
Iam Virtus penna remige tuta volat.
Nec latè Nereus Virtuti vela retardet;
Virtuti angustus terminus Aequor erit.

Virtus innoxia.

159

Cui doctum pectus stat forti adamante reuinctum,
Non illi Virtus in fera bella riget.
Aegide tectus erit; tamen heu si fulminet Aetas,
Ignotus tumulo non cadet ille cinis.

Virtus in aduersis.

160

Successu meliore latet non cognita Virtus;
At damno arguitur, conspiciturq; malis.
Mars, & Typhi iaces, sileant si bella, fretumq;
Per mala Virtuti semita clara patet.

Se-

Senex adhuc poësi delectatur.

161

Annis iam frangor, modulor sed cantibus æthram,
Sic fessus Pastor carmine mulcet oues.
Sic & Lympha cadens resonanti murmure plaudit,
Lassus sic Orpheus ad Styga dulcè canit.

Ab omnibus erudimur.

162

Cæsar, aues ne sperne rudes, piscesq; ferasq;
Quercus, si sapias, ipsa docere potest.

Ad P. Famianum Stradam.

163

Aonij cultor nemoris, tibi docta Virago
Pieridum, cantu nobiliore, fauet.
Fronti serta legit sacro pallentia lauro;
Castaliumq; tibi Fama perennat opus.
In laudes resonans Heliconias aura laborat,
Vixq; tuis satis est Cynthius ipse choris.
Sæpe alios peritura suis Laus eleuat alis;
Ast æterna tuo nomine Fama volat.

Philosopho egeno.

164

Aethereos liber dum suescis adire meatus,
Et potis es vario sidere mente frui.
Dum scis, an Phœbe tumidis mare nutriat vndis,
Quis rigor in niuibus, quas habet Aura vices.
Quis fulmen torquet, quo nubes fonte creetur,
Ignea cur gelido fulguret axe Coma.
Aerato quin astra globo dum cuncta coërces,
Mentiriq; Iouem nobilis arte vales.
Ne geme, plorandos inter Telluris alumnos,
Nudus opum; Cœlum iam patet omne tibi.

In virum felicem.

165

Ne stultè iacta, placidos quod luce serena
Ducis, Fortuna non renuente, dies.
Qui non fœminea fert prælia Sortis, ab illa
Neglectus, nomen non meret ille viri.

Ad Phœbum de Tasso.

166

Da, Phœbe, Tassi lumina,
Vna hac gaudia dona:
Sed non loquantur vna;
Da, Phœbe, Tassi numina.
Tassum dedisti, Pythie;
Est litterarum satis.

Littera loquitur.

167

Filia sum Cadmi, nigresco nuncia mentis,
Et calami sulcis candida culta nouo.
Dum, rerum immortale decus, me sepia signat,
Nox prodest; vmbris clara nitesco meis.

De eadem.

168

Littera, quam cernis, ducto se se agmine fundit,
Et tacitis animat mortua verba notis.
Nec nigro horrescens stylo vilescit arata;
Auro nobilior germina mentis habet.

In laudatorem
Torquati Tassi.

169

Tasso exculta para; tibi sit dicendus Apollo:
Qui solito hunc laudat more, malignus erit.

Ad

Ad Hiſtoriam.

170

Virtutum, & ſcelerum præco, vitæq; magiſtra,
Veris ſola notis digna merere fidem.
Per te, præteriti iam Nuncia temporis, altè
Aeternum inſtabilis Regia lumen habet.
Nile, tuis ergo iam non vileſce papyris,
Si chartis diſcunt viuere Sæcla tuis.

Laurenti N.
Tragœdiæ ſcriptori.

171

Barbarico, Laurens, quatitur tibi turbida greſſu
Orcheſtra, Inachio maxima pompa ſolo.
Et per te verſu viduantur Regna minaci,
Duxq; cothurnato ſyrmate funus habet.
Iam grauibus verbis animoſa Tragœdia gaude,
Et, dum ſic ploras funera, viue diu.

Ad Virum
omnium ſcientiarum.

172

Tu Sophiæ nexus latitantes, Oedipe, ſoluis;
Et Samij articulos ſcis numerare Senis.
Clio tibi reſonat grauiori carmina plectro;
Arpinas cedit iurgia docta fori.
Alta Syracuſio mens eſt agitata labore,
Dulciloqua Siren gaudia voce cies.
Et famulata tibi Zoroaſtres ſidera vertit:
Omnia cum ſapias, vnus es omne mihi.

De Fortuna, & Virtute.

173

Eſt homini luſus Fortuna, at gloria Virtus:
Illa diurna volat, hac diuturna viget.

Ad Oddonem in omnibus facultatibus celebrem.

174

Nil mirum, Oddo, tuæ pateant cur omnia menti,
Felix autumnat mens tibi diues opum.

De Fidicine.

175

Dum ciet hic chordas arguto pectine, iussis
Et spatijs plectrum sollicitare studet.
Non digitis pellit cythara sic Cynthius aurum,
Nec solet Amphion voce, manuq; loqui.
Illi est docta chelys, proles numerosa modorum,
Marmorè vocules eliciturq; notas.
Si sapis, hinc abeas; animat dum barbiton areu,
Corda, lyræ ad chordas, exanimare potest.

In celeberrimum poëtam bellorum Aeneæ, & Turni.

176

Carmine Mantoos imitaris, Paule, cothurnos,
Andinaq; potes bella ciere tuba.
Quid canis, & diro pugnæ resonabilis æstu
In sortes Italas horrida fata vocas?
Desine; iam repetit Turnus te, te auspice Martem,
Audetq; à tumulo nunc superare Phrygem.

Ad Maiam epistolarum scriptorem, cuius Insigne est Palma.

178

Fandi Maia potens, docto dum nobilis ore
Reddis epistoliis omina læta tuis.
Iurè tibi emittens æterno germine frondes
Delphica gentili stemmate Palma viret.
Nam, si in Cæsaribus victricia denotat arma,
In te victrices denotat illa notas.

Iocus

Iocus in hominem pium, sed insipidum.

178

Non benè res agitur; fausto si numine quaeris
Mollire auersos in tua fata Lares.
Tu Diuûm, insipiens, animos placare nocentes
Farre pio poteris, non saliente mica.

De Michaële Angelo Bonarota.

179

Prima rudes animas referebant saxa Promethei;
At noua iam debent plus simulacra tibi.
Illo nil maius mundo tulit alta vetustas,
Hoc neq; maius habet, nec feret orta dies.
Doctus vterq; hominum posuisse insignia, vterq;
Doctus & artifici membra animasse manu.
O' dignos vel sorte pari, ni gloria vtriq;
Dissimile in simili traderet arte decus.
Repperit ille artem, reuocauit at alter ab Orco;
Illud opus hominis, hoc reor esse Dei.

In Poëtam, qui incendium Troiae canit.

180

Iliacas arces, vstaq; cadauera Troiae
Vatis Apollinei docta Thalia canit.
Quaeq; olim iacuit Danais euersa maniplis,
Stat modò Maeonia clarior aucta manu.
Et plus victa viget, quam si non victa fuisset,
Maiorq; è proprio funere fama venit.
Felix morte sua; meliori insignis Homero
Tam malè non cecidit, quam benè Troia redit.

Ad insignem Poëtam.

181

Si molles Elegos alterno carmine pangis,
Languet Pelignis edita Musa iugis.

Alta Sophocleo cum pulpita syrmate verris,
Non alia heu Sophocles; sed sua damna timet.
At Lyricus si fortè tonas, Venusina triumphos
Edomita in numerum iam tibi plectra canunt.
Quod si laurigero turges Heroë superbus,
Tu pars Musarum prima, secunda Maro.

Tumulus Maronis.

182

Pascua, Rura, Virum Maro concinit: edidit Andes.
Brundusium rapuit, Parthenopeq; tegit:
Pani hirto, cultaq; Pali, Martiq; superbo
Mœret, languet, obit Pastor, Arator, Eques.

De terna Charite Antonij Bruni.

183

Dum, Brune, attollis Charitum inuiolabile nomen,
Aligeri languet vis truculenta Senis.
Inuidia attrito nequicquam sibilat angue,
Et frustra exonerat Parca inimica colum.
Si tibi terna Soror vitæ iam stamina neuit,
Nunc non posse mori, dat tibi terna Charis.

De Torquato omnis litteraturæ viro.

184

Palladiæ cultor Diuæ, Torquatus ab ore
Dum verba eloquio nobiliore iacit.
Fulmen verba rotant; decoret seu laude triumphos,
Seu graui in exanimem detonet ore reum.
Quin Mantoa imo dum corde tonitrua soluit,
Attonita lauro fulmen Apollo timet.

De Virtute.

185

Est Phœnix terris, fuscoq; simillima Cycno
Virtus; quid quæso rarius esse potest?

De Aristotele.

186

Iuppiter agrestem si Pallada in orbe dedisset,
Pallas Aristotelis disceret ore loqui.

De Alexandro Rhetore insigni.

187

Maior Alexandro, quo nil tulit altius Orbis,
Alter Alexander nunc sua bella parat.
Auspice Alexandro Mars duxit in agmina turmas,
Hoc sub Alexandro castra Minerua monet.
Si calamis, quos ferro armat Mauortia cuspis,
Fixit Pellaus barbara corda Ducum.
Hic calamis, fuso quos sæpia tetra veneno
Nigrat, in aduersos fortius arma ciet.
Marte potens Macedo, tonitru velut acta sonanti,
Torsit in hostiles tela inimica manus.
Obsessæ at causæ dum se se hic Rhetor in arcem
Bellator confert, firmius arte valet.
Aemathijs adigi telis odere phalanges,
Hæc in se verti tela vel hostis amat.
O' alijs impar, tibi par; qui dulcè superbis,
Maior Alexandro, quo minor Orbis erat.

Auli docti tumulus.

188

Libris frequenter Aulus incumbens iacet:
Vita haud peregit semitam, lassus cubat.

In morte Raymundi N. viri doctissimi.

189

Qui radios Mundo sapiens Raymunde dedisti,
Nunc caliganti funere mersus obis.
Vnoq; in tumulo crines adoperta tenebris
Tecum tristè gemens Græcia mersa iacet.

Lux expallescit, te decedente, Quiritum;
Et tecum aterna nocte laborat Arabs.
At quid? debentur Raymundo obeunte tenebra:
Nam RADY MVNDO disperiere sui.

De rerum
inuentoribus.

190

Icarus artifici malè nixus concidit ala,
Et propria in pœnas ara Peryllus habet.
Audax ipse suo Salmoneus vritur igne;
Magnis ingenijs ars sua sæpe nocet.

Ad Attalum
in poësi contentiosum.

191

Carmina non pangis, sed rixis, Attale, certas,
Thersitis lites iam quoq; Phœbus habet.

Morum prauitas.

192

Virtus inseruit vitio, Sapientia sorti:
Nunc erit Hybla Apis, nunc Apis Ibis erit.

Tumulus
insulsissimi hominis.

193

In terris æquo si semper munere debent
Pensari meritis omnia nata suis.
Vir cubat hoc tumulo nullius ponderis; illi
Non sis terra grauis, si leuis ille fuit.

In malum causidicum.

194

Iura trium Polyarche nequis meruisse clientum;
Vnum cum semper vix habuisse queas.

In

In nauigantem deformem.

195

Ricindus vltra Gadium extremas plagas
Deformis ore, & more sollicitat mare;
Nunc belluosum dicere Oceanum potes.

Omnia in terris vilia.

196

Iuppiter in Cælo Deus est, dum linquit Olympum,
Aër, vel tonitru, vel leuis imber erit.

De Iurisconsulto extremo Mense
Septembri vita functo.

197

Primus ab Augusto mensis dum pronus in imum
Vergit, & Astræus dum perit axe nitor.
Legum Zeno obijt, cui non annosa vetustas,
Nostra nec in terris sæcla tulere parem.
Scilicet in Cælo sunt iura æqualia; cultor
Astreæ, Astrea depereunte, perit.

In gestantem ingentem annulum.

198

Gemmantem digitum magno cur orbe coërces?
Annulus hic melius cruribus aptus erat.

In N. qui negligebat veterem amicum.

199

Qui veterem temnis, tu florem credis, amicum;
Tunc flos est gratus, cum sit odore recens.

In Famianum Villicum ineptum.

200

Tu Famianus eras, sed mox ludente popello
Contracta nobis voce Mianus ades.

Ergo caue, cum tu numero breuiore notarum
Corripi adhuc possi, ne vociteris Anus.

Improbo, qui se probum simulabat.

201

Te sacrum, & sanctum iactas; sed noscere sanctum
Cum te non possim, te reor esse sacrum.

In Cinnam male solitarium.

202.

Res mira: Cinna est solus, & scelerum tamen
Amans remittit nuncium virtutibus.
Nec mira: verè est solus, hic virtutibus
Cum iam scelestus nuncium remiserit.

In Iudæos.

203

Isacidum soboles, veteri quæ perfida ritu
Fumanti lychno Sabbatha vana colis
Antiquis gens dura sacris, vilissima Iessis
Proles, è Iuda germine truncus iners.
Dum natalitij minuunt te sanguine cultri,
Plusquam in te pellis, sit recutita fides.

De Virgilio, & Augusto

204

Ingens, Augusto vixisti Principe, Vates;
Et magnum magno Principe condis Opus.
Iurè etenim Augusti decuit vixisse sub auum,
Cui laus augustè tam cecinisse fuit.

Ad Vlissem
de suaui Oratoris eloquio.

205

Hæc si dicta bibas, lotum auersate madentem
Ebrius hoc haustu Penelopae fores.

In

In frigidum Poëtam.

206

Tu petis, æstiuos quo vitem more calores?
A' Musa quæro non procul esse tua.

Ad N. qui extimescebat Vatum carmina.

207

Quid dentes metuis mordaci in carmine Vatis?
Si canum Tempus nos sine dente vorat?

Ad Iurisconsultum extinctum,
dum in Genuensium Rotam vocaretur.

208

Dum votis repetite nouis, Nerotte, vocaris,
Vt Ligurum damnes crimina in orbe Rota.
Damnat te diri lex implacabilis Orci,
Et Mortis versat turbine cæca dies.
Proh fati legem! Ligurum qui volueret orbem,
Mortis inexhausto voluitur orbe Rota.

De insulso Scriptore.

209

Insipidus Scriptor salsas damnatur ad escas;
Quodq; nequit viuus, mortuus ipse sapit.

Adulatori.

210

Quod tu fers alijs oleum assentator in aures,
Hoc tacito ferres aptius ore tibi.

De poëta, qui alieno labore
carmina pangebat.

211

Cum malè felici tornes tua carmina dextra,
Vatibus è varijs quæris Helenor opem.

Expolit hic mira deformes arte figuras;
Hic dulci renouat dicta vetusta sono.
Nunc aperis rerum causas dictante Volumno;
Nunc Cinna ad calamum nobile pangis opus.
Alterius studio dum sic exculte vigescis,
Marsya vel rigidus carmina docta daret.

In Cinnamum.

212

Aestu animi feruere soles, modò Cinname friges:
Nunc scio, quod rigeant Africa regna niue.

Ad
vatem Gallum.

213

Quis te te maiorem ipso vel Apolline vatem
Galle neget, vatem si facit esse furor?

Satellitum copia.

214

Vnus cadatur si per te fortè satelles,
Centum in te surgunt; nunc habet Hydra fidem.

In coquum
litigantem.

215

Si coque, litis amans, credas te iure potentem,
Cum litem perdas, es sine iure coquus.

De inepto
Astrologo.

216

Vix tibi notus homo; vix vmbra es cognita Solis.
Soli, hominiq; tamen dicere iura soles.
Sed rerum frustra penetralia cœca recludis;
Cœli orbes noscit non nisi magnus Atlas.

De

De Orpheo.

217

Orpheus est Morpheus. Dum Sponsam quærit ab Orco,
Somniat; & pennis ocyor Vmbra fugit.

De Adamante.

218

Nil Adamas flammis, aut Phœbi soluitur æstu:
Aestate in media gemmea vernat hyems.

In exiguam
hominum fidem.

219

Fœdera Damonis, Nisiuè antiqua valete;
Aut prisco Pyladi iunctus Orestis amor.
Nil mirum, Virtus si non hoc feruet in æuo;
Torpet in exangui corpore cana Fides.

Omnia fluxa, & caduca.

220

Aura vale, tenui est titulo tibi nomen inane:
Et quid iam titulis est minus? Aula vale.
Fama vale, quid grande tumes? fugis incita pennis:
Et mage quid pennis est leue? Vita vale.

De Aulone
illitterato causidico.

221

Maurus membra lauat, lychno studet inscius Aulon;
Ille operam perdit, perdit at iste oleum.

De Fortuna.

222

Fortunam, plusquam Tempus, metuisse iuuabit;
Canitie hoc languet, viribus illa viget.

In Glyconem
Sophistam.

223

Caliginosa lusitans ænigmate,
Quid vorticosi fingis Euripi vada,
Dubiasq; monstri Cretici intexis vias?
Et syllogismo plectili verum obstruens,
Calumniosa nube denigras diem?
Par Soli aperta Veritas clarè nitet,
Et contineri circulis Pallas nequit.

Insulso philosopho,
qui Aristoteli detrahebat.

224

Iactas, quod priscis Academia nouit Athenis,
Dum daret Actæus lactea verba Plato.
Socratica quo fonte olim maduere papyri,
Et quo Democritus riserit ore senex.
Aut quales Samius, qui corpore posse renasci
Nos docuit, tacito protulit ore sonos.
Quoq; Cleanthæa lychno nituere lucernæ,
Aut quali Heraclitus polluit imbre genas.
Vane, Stagiræum sed dum tu carpis Alumnum,
Est tibi Bœoto nata Minerua solo.

Nauiganti.

225

Heu ne fide mari; pinu cum cærula curres,
Diuersis eadem te feret Aura vijs.

Præstans virtute
moritur.

226

Virtute excellis; tamen occidis: ipse vel æther
Virtutum in terris tangitur inuidia.

De

De Apibus.

227

Est Apis Hyblai predatrix hospita collis,
Incola ruris amans, mellis amica parens.
Florea odoratis pennis dum plausitat Aura,
Cecropijs hortis ingeniosa fabra.
Cerea regna parans, Aurora sedula cultrix;
Virgo ales, verni Filia fulua Poli.

De maris tempestate.

227

Heu, plusquam Doris, vario discrimine rerum
Fortuna aequoreis ludit iniqua vadis.
Cuncta rapit pelagus, lymphis humus ipsa voratur;
Naufrago & est Nereus mobilis vrna Solo.

In hominem inanem.

229

Tu non visa vides; Deus es, sed inanior aura;
Et cum Echo non sis, iam nihil esse potes.

In litigiosum.

230

Quid lites insane seris? ne iurgia legum
Crescant, fit campis arbiter ipse lapis.

In Bibliothecae studiosum.

231

Bibliotheca tibi cum sit numerosa librorum,
Non est ingenium bibliotheca tuum.

De Arborum insitore.

232

In rudibus studijs nil doctius Elpide viuit,
Cui planta ex omni cortice poma creat.

Alter odoratis inscribat floribus hortos,
Pingatq; industri Chloridis ora manu.
Turgentes alter gemmas in palmite noscat,
Et quæ poma aliis sint meliora plagis.
Antiquo hic copulat iuuenilia germina ramo,
Et senium sylua fronde virente nouat.
Pan Tegeæ, tuos intersere fronde capillos,
Et foliis crines implica, amica Pales.
Inserit arboreis dum mirè hic germina libris,
Inserit hic miris nomen in astra notis.

De Auro.

233

Pauperis ad lachrymas dirè incrudescit Auarus;
Aridius sterili pumice pectus habet.

Ad Cæsarem prodigum.

234

Sunt certa humanis, Cæsar, confinia rebus,
Diuitijsq; suus prodige finis adest.
Non est in Cælo fœcundum lumine sidus,
Quod tibi inexhausto fonte perennet opes.
Iuppiter in Danaën cum totum effuderit aurum;
Argentum pauper nunc dat in imbre Deus.

De Hyeme.

235

Contrahitur Cælum, syluaq; Aquilonibus horrent,
Alpinasq; niuis mole, laborat apex.
Laxatis turgent strepitantia flumina ripis,
Iratisq; Austris spumea regna fremunt.
Mugit tempestas, & multo fulmine candens
Aër nymbosus ducit ab axe Iouem.
Proh fata: in nostro cum langueat ore senectus,
Ipso Hyemis vultu cana senecta furit.

In Criticum.

236

Acer Aristarchi genio cum iudicet Aulus,
Sit iudex alijs Aulus, Apollo mihi.

De æstiuis Augusti caloribus.

237

Mense sub Augusto in cineres dum soluitur Orbis,
Et Natura siti sollicitata rubet.
Iurè furens ageris; nobis nam fraude Promethei
Insanum fundit robur ab axe Leo.

Ad scriptorem ineptum.

238

Si tinea inertis asperum damnum times,
Ineptiarum ne ede membranam leuem;
Quin tenuis hac dum charta fit tineis cibus,
Tenues in ipso ineptiunt tinea cibo.

In maledicum.

239

Extinctos Liuor, tu viuos carpis; es ergo
Viuorum vermis: vilior esse nequis.

In tumulum Lusciniæ.

240

Dum saxo hoc tegeris, Musis Luscinia concors,
Passer, qui dicto clarus ab ore sonat,
Coruus in Vrbe canens, & notus Psittacus Indis
Est tibi honore impar, est tibi laude minor.

N. carpenti tabulam, in qua depicta erat Tellus.

241

Pictum in Tabella quid Solum carpis, miser?
Victum docet se obire, qui carpit Solum.

Sepulchrum Scurræ.

242

Vrna hac Ridiculus tumulatur Scurra; Viator,
Cum Risus iaceat, fletibus ora riga.

De pinu Aenigma.

243

Nata gero fructus, in malos cador adulta;
Naufraga spumigero sum domus apta gregi.

In mortem
coqui.

244

Atrata patina, & stillanti lance liquescens,
Ac fractis cacabis mœsta culina geme.
Et nigris ollis epulas, Vulcane, negato;
Vertitur in cinerem, qui tibi flamma fuit.

Inerudito historico.

245

Tu numquam tribus explicare chartis
Aevi congeriem scies vetustam,
O cultor sapientiæ impolitus,
Antiqui eloquij rudis nouator,
Vecors author inelegantiarum.
Frustra Mercurius Polum relinquit,
Dulcis nectareo stat ore Pitho:
Si totis veniat Minerua Athenis,
Annum mille nequis notare chartis.

Epitaphium
baiuli interfecti.

246

Qui diuinitatis digitis certare solebat,
Non diuinato casus ab hoste cadit.

In

In
Aulicos.
247

Dum lare detineor, me reddunt parua beatum,
Ast aula ingentes dilapidantur opes.
Illic innocuo splendescit lumine sedes,
Hic igne vrenti flamma maligna furit.
Vna domi ternas mihi transigit instita messes,
Vna astate terit quatuor Aula togas.
Illic pasco meos, alijs hic pascor alumnis;
I nunc, & demens regia tecta cole.

Aulæ
luxus.
248

Iam tenuis fuerat victu par cœna Sabino,
Nunc lautis mensis est pretiosa fames.
Quin ipsa est pretium famulanti Regia turba;
Aula non colitur ni pretiosus honor.

De
Iride.
249

Imperijs assueta Iouis stat nubibus Iris,
Parere æternis edita Virgo Deis.
Nymborum est vindex, & pictrix Dædala mundi,
Arbitrioq; suo tempora amica rotat.
Victrix gemmanti sinuatur lumine in arcum;
Aut hoc, aut gemino est Sole superba dies.

Ad
rudem Poëtam.
250

Nil in te scripsi, nec inania, dicta putaui:
Scribere non possum, carmina nulla facis.

De

De pectine.

251

Vt radas crinem, vel rodas arte capillum,
Multo dente tibi buxus hiulca datur.

De Vmbella.

252

Vela rapit Boreas, sed dum hac Vmbracula tendis,
Et Solem, & Borean hac tibi vela tegunt.

In senem
poëtam ineptum.

253

Tu mihi Catonem, tu Numam vultu refers:
Sed versu inani dum leues garris iocos,
(Tineæ voracis fercula, & blattæ cibos)
Te ludit asper nare contracta Cato,
Teq; ore hianti tristè subsannat Numa.

In Aulicum.

254

Ne tumeas fastu, aut vano tollaris honore;
Hoc praceps pelago Dædalus ipse ruet.

De Pauonino flabello.

255

In caudam Iunonis Auis sis versa licebit,
Ambitionis amans Regia tecta colis.

Conditio humana.

256

Cogitur (heu fatum) semper peiora subire
Humanum dira conditione genus.
Aera olim tenerum Cybelis gemuere puellum;
Nunc hominum furias durius ara tonant.

Lus

Lucerna.

257

In deforme Chaos nox iam caliget inanis,
Expello tenebras nocte Lucerna vigil.
Et cum sim terris alieni conscia facti,
Magnus laudis honos est, tacuisse mihi.
Immo, ne lingua soluam mea dicta calente,
In me flammescens soluitur igne liquor.

In Adamum Pomilionem.

258

Dum pedibus graditur totus teres, atq; rotundus,
Se se in se vertit, vixq; mouetur Adam.
In capite est orbis, sed parua in corpore moles,
Plurima promittens, vix tamen vmbra sibi est.

In Aulicum.

259

Aula, procellarum fremitu, tibi damna minatur;
Hac omnes gremio naufraga Scylla vorat.

Ad eundem
aëris salubritati studentem.

260

Ne moriare, caue. Tibi sint in colle Quirini
Aura iucunda mobilitate leues.
Tuscula te recreent algenti frigora fonte,
Et Tibur placido temperet astra iugo.
Dira tamen sano desæuit in aëre Cloto:
Vita ipsa est obitus; Ne moriare, time.

Ad senem doctum.

261

Dent Pyliam Diui mirè superare senectam;
Cum virtus Pylij sit tibi mira senis.

In Alconem pauperem
horologiorum fabrum.

262

Signa Alcon, sed non Sortem rotat. Aspera nosco;
Aerea mortali fabricat astra manu.

De magnis huius sæculi
ingenijs.

263

Virtus regna tenet; felix iam degimus auum,
Et docta natus Pallade quisq; sapit.
Præcoquitur nobis studijs melioribus atas;
Stat puero ingenium, quod solet esse seni.

Ad iracundum.

264

Fulmina turgentum quid vibras saua minarum;
Ah nubes pereat cordis hiulca tui.
Irarum moles Cælo ruat acta sereno,
Et qua fax alijs, sit tibi flamma cinis.

Conditio
rerum humanarum.

265

Cum summo in se se decrescat vertice Moles.
In vos, ò miseri, fata timete Iouis.
Alcides parua iacuit cinefactus in vrna;
De magno in terris restat Achille nihil.

In senem iratum.

266

Annis iam premeris, sed cor tamen æstuat intus,
Iratasq; faces ore fateris atrox.
Quid furis? antiquo rabies tibi frigeat auo:
Caro sub Borea fit Maris ira gelu.

Aulo cras promittenti, ſed nũquam fidem ſeruãti.

267

Cras Aule heu ſpondes, ſed bis dedit area fruges,
Nudo ter premitur fuſilis vua pede.
Iam quater Octobri geminauit Pleias ortum;
Quinq; per Auguſtos ferbuit igne Canis.
Incluſum ſextus complet Sol Piſcibus annum;
Taurusq; irrorat ſeptimus imbre ſolum.
Bis quater Herculeus terror cremat aſtibus arua,
Et nona glacie fit Capricornus iners.
Brachia iam decies incuruat Scorpius ardens;
Cum cras non veniat, ſtat tibi vera fides.

Vbiq; periculum.

268

Ne ſperes, cæca ſi vrgent humana procellæ;
Ne fidas, nobis ſi leuis aura ſonat.
Feruens in nautas Mare ſæuit vbiq; periclis;
Læua Charybdis hiat, dextera Scylla vorat.

De Cupreſſu.

269

Funus in alterius creſcens tellure Cupreſſus
Non viget apta fretis, ne cadat vrna ſibi.

Romanus ſcripta poëtæ Romani
ab æui iniuria ſeruat.

270

Romanum Vatem, qui lauro ſerta gerebat,
Romanus ſeruat; quernea debet Honos.

De inundatione Tyberis.

271

Exit iam fluctus Tyberina è margine ripæ,
Et victrix altè mœnibus vnda fremit.

Valles implentur, decrescunt gurgite colles;
Et lymphis latè naufraga Roma natat.
Aedes verticibus lassa labuntur ab altis,
Vastaq; spumanti vertice templa labant.
Tyrrhenum Fluuius decertaturus in aequor
Vndanti salsas agmine pellit aquas.
Orbe triumphato vicit iam Martia Roma;
Nunc domito turgens aequore Tybris ouat.

Opus in lucem edenti.

272

In te non tumeas, in lucem scripta daturus;
Sed multa populum sedulitate caue.
Est ingens monstrum, cui lumen, & auris adepta est;
Qui vincit Populo iudice, magna facit.

De Nuce.

273

Quid coniurato tempestas saxea nymbo
Ingruit, & duro me petit imbre lapis?
Non iuuat innocuam terris traducere vitam;
Et mihi faecundo semine fructus obest.
In pinu Phrygium puerum Berecynthia plorat,
Et Phoebi lachrymis tu, Cyparisse, doles.
Sed per me nullum iam regnat in aethere Numen,
Meq; ferox gaudet dilapidasse manus.
Tutior ipsa forem, si nunquam prima tulissem.
Filia iam felix, nunc malè nixa parens.
Infaecunda abies, & germine inutilis ilex,
Prodiga saeclorum ducere fata solent.
Florida nunc ergo dum terris germinat aetas,
Ver alijs redeat, sit mihi semper hyems.
Ver reparabit opes, & opes mihi damna ministrant;
Esse iuuat nudam, ne spolianda petar.
Vos in me ramis, & frondibus inuida saxa
Si forsan furias euomuisse iuuat.

Ob-

Obruite offensum centeno vulnere truncum,
Et per vos odium sit semel vrna mihi.
Exacui ah quoties lingua sub imagine frondes,
Et fudi querulas fronde loquente preces.
Expandi ah quoties supplex mea brachia ramos;
Ne sæua furerent in mea fata manus.
At ne fronde loquar, viduatur frondibus arbor,
Brachia ne tendam, brachia cæsa cadunt.
Phyllidis in funus protendis Amygdale ramos,
Est & amans folijs pendula facta tuis.
Purpureo Morus fœdatur sanguine Thisbes,
Et dirè in fructu Pyramus ipse rubet.
Ast in me patuli frondentia germina trunci
Non sunt humanæ crimina passa necis.
Funestumq; rubens duplicat dum Sirius æstum,
Frigore læta meo molliter herba viret.
Densis apta vmbris defendo à Sole capellas,
Agnos à pluuijs officiosa tego.
Agricolæq; ferens indeficientia poma
Vulneror, & meritis opprimor ipsa meis.
Quid grauiora? parit mortalia vulnera partus;
Innocuæq; Nuci non nocuisse nocet.

De
insigni
Maronis
statua.

274

Mys humeros, Mentor crines, ora exprimit Alcon:
Non dat Clio sonos; est sibi Musa Maro.

Ad
Mercatorem.

275

Primo sis diues, sed mox è diuite pauper:
Dimidium facias, vt benè semper agas.

Ad naufragum.

276

Frangeris in media, Cæsar, reuolubilis vnda;
Sed spes iam reparat fracta carina tuas.
Ligno hærens terram repetis: quis credere possit?
Naufrage, dat portum naufraga cymba tibi.

Ad Marullum.

277

Donas carmina; pauper es, Marulle.

In donum
hominis inepti.

278

Dona quid, insipiens, mihi dicis mittere? Cælum
Placa: sunt Hominum munera, dona Deûm.

De senectute,
& iuuentute.

279

Cara est senectus, quæ iuuentà dulcior:
Grata est iuuentus, quæ senectà firmior.

De subdolo
fure.

280

Furi nulla fides, cæca si luce laboret,
Aut lento titubet segnior ille pede.
Si fugiat, raptori alas Cyllenius addit;
Si rapiat, Lyncei lumina cæcus habet.

Fortunæ aduersitas.

281

Gaudia dant fletus; vmbris lux voluitur; & quæ
Phosphorus alta vehit, Hesperus ima premit.

Ad

Ad Alconem
molliter sæuientem.
282

In rabiem dum fortè ruis, non fortiter Alcon
Exardes: mitis concoquit ossa furor.
Non cœcum stimulum vesano in pectore condis;
In te delicias ipse vel horror habet.
Dumq; animum exagitat, non mentē insania mutat,
Blandè coniurat cum pietate rigor.
Res mira; vt pulchrè rubeas, furis acriter Alcon;
Dulciter in medijs dignus amore minis.

Ad amicum
de pluuiæ ærumnoso portento.
283

Pacis amans, saui iactaris turbine Cauri,
Et torto pauitans fulguris igne riges.
Bacchantur latè furijs vltricibus Euri,
Et quercus longè grandine fracta sonat.
Quid dira Ionici quereris luctamina ponti:
Fluctibus ipsa tibi naufraga Terra nocet.

Ad rusticum superbum.
284

Rustice, nil mirum, si surgis in athera fastu,
Allia nam Memphis prodigiosa colit.

De Pace.
285

Pax animi, tranquilla quies, pax optima rerum
Fertur, Palladia maxima cura Dea:
Vnica libertas, placidissima pectoris Iris,
Sol inter tenebras, mentibus ipse Deus.
Gracia quid lauros, quid iactas Roma triumphos?
Vincere Pax solum cuncta trophaa potest.

De vita.

286

Viuere quid vitam iactas, si Parca minores
Iam pereundi horas contrahit atra tibi.
Si peregrinus obis mundi commercia auari,
Et florem ætatis demetit vna dies.
Dimidium vitæ, dum somno corpora tradis,
Transis, atq; ipsum est viuere seruitium.
Aut animi curis, aut morbo membra grauantur;
Impunè in terris viuere nemo potest.

In
Cottam calentem.

287

Cales pruinis horridi Arcturi grauis,
Cales, onustus dum fremit Boreas gelu,
Cales rotante frigidam Ariadna facem,
Cales, niualis axe dum torpet Caper,
Cales sub Arcto, cana quæ glacie riget;
Iam te Pyraustam, Cotta, non hominem reor.

De fletu,
& risu.

288

Vt mens lætetur, sint roscida lumina fletu,
Fulguret vt risus, gutta per ora cadat.
Vt Venus Ægæo, lachrymis sic surgat ab vdis
Lætus Amor; fletus pabula risus habet.

De Fortuna.

289

Magnas raptat opes nimio Fortuna dolore;
At minus indoleat, si minus illa fauet.
Quid frustra prædas ab auara Sorte requiris?
Eripit illa minus, si minus ipsa dedit.

Da

Da baiulo claudo
auri pondus ferente.

290

Baiule, sub fuluo graderis dum claude metallo,
Aut grauiter læsum te labefactat onus.
Aut quò te vertas, dubio pede volueris anceps,
Aut tanto pressus pondere latus ouas.
Aut inhians opibus lentè vestigia figis,
Aut genua incuruas, vt venereris opes.

Ad Aulicum.

291

Si culpa socius sub amico Principe regnas,
Dum stultè speras, si sapis ipse, time.
Cum Nemesis socia, cum Spes recolantur in ara;
Hæc sperare docet, illa timere iubet.

Ad Celtiberum
celeriter, sed malè scribentem.

292

Igneus ingenij vigor est tibi Celtiber: ergo
Iurè tua ignito da monumenta Deo.

In N. qui innouantem verba deludebat.

293

Ne dura hæc iactes, in vulgo est norma loquendi:
Audendum est; vsus mollia verba facit.

Ad Glyconem
de Legislatore, & Medico.

294

Lecto, siue foro quid totum transigis æuum
Litibus, aut morbis sollicitate Glycon?
Legifer, & Medicus cum ius malè tractet vterq;
Vnus obest ægris, officit alter agris.

Superbo,
qui fortitudinem simulabat.

295

Quicumq; honorum cupidus exuuijs nitet,
Alteq; demens verticem attollit Polo,
Per ipsa damna viribus fractis miser
Quarit voraci nomen Ionio dare.
Est fortis ille, cui ferox Mauors tonat,
Cui sauienti turbine est atrox hyems:
Nec rauca tonitru classica Emathio pauet,
Nec peruicaci Carpathon fluctu timet.

Terra Mari similis.

296

Par specie est Pelago Tellus; & valle, iugoq;
Dum cadit, & resilit, montibus vndat Humus.

De fontis imagine.

297

Fonte repercutitur species fugitiua tuentis,
Et speculum vitro lenè fluente micat.
Sunt puro simulachra vado reddentia verum,
Et clara à liquido marmore imago venit.
At ne fide; leui mendax fit rore figura,
Est speculum simulans, vmbra resultat aquis.

In detractorem summi Scriptoris.

298

Liuor abi, Sapiens oculata scribit arista;
Qui doctum dictis arguat, Argus erit.

In obduratæ ceruicis hominem.

299

Saua acies calybis longo torpescit ab vsu;
Et qua iam viguit, mox rosa languet iners.

Im.

Impigra desidunt diuturno flabra volatu;
Et salso torrens è mare dulcè meat.
Purpureo viridis tandem rubet vua racemo;
Flamma vorat silices; anni adamanta terunt.
Vmbrarum alterno caligant lumina cursu;
Quæq; astris cessit, mox redit acta dies.
Difficili patiens Taurus deseruit aratro;
Ipse docetur equus tempore fræna pati.
Aurea de viridi flauescit cespite arista;
Victa iugum tandem sæua Leæna subit.
Qui fuit ante niuis rigor, è Phaëtonte liquescit;
Et Titan miti mella sapore probat.
Horrida quæ nubes fuerat, mox Iride plaudit;
Tempore fœcundus poma colorat ager.
Cætera iam vidi rerum mollescere cursu;
In te Mens omni tempore acerba riget.

De senectute
clam irrepente.
300

Hei mihi, quod furtim subit imbecillior ætas.
Et curas inter vertitur atra dies.
Nec vitam meruisse satis mea carmina possunt;
Nec nostris grauiter cantibus astra sonant.
At nigrum inficiat crinem cum cana senectus,
Si non vox Cycni, sit mihi pluma decus.

Viro
summa laude digno.
301

Calliopæa tuas meditatur carmine laudes,
Inq; tuum semper deficit ipsa decus.
Hæreo, at inuitus pulchrè stupor auget honorem;
Obsequium Hermeten gaudet habere suum.
Dat tibi facundum reuerentia muta tributum;
Nam qui sæpe tacet, sæpius ille canit.

Ad ineptum philoſophum.

302

Cunčta ut inepte ſcias, quid voluis dicta Licai,
Et quos Euripos alta Stagira mouet?
Quid mordax acuis doćto Cane fulgura lingua,
Magnouè Abdera flumen ab ore bibis?
Chryſippi nodos, Epicuri inſomnia ſoluis,
Heraclitiq; artes quid malè ſane doces?
Socraticum nil proſit opus, nil dogma Platonis;
A' Samio ſolùm diſce tacere Sene.

De Lycone ægrotante.

303

Graui dolorum tabe confećtus Lycon
Tenebricoſa tædium vitæ trahit.
Non viuit ille, viribus qui non valet,
Et Solis exul angulo occultæ domus
Inter tenebras luce non fruitur bona:
Medicæ repertor artis eſt lucis Deus.

Ad eundem.

304

Inefficacem Symmachi expertus manum
Squallore ſordes, nocteq; inſomni doles;
Et fraćta putri membra labeſiunt lue:
Tibi ab Epidauro non opem ferret Deus.

De Somno.

305

Parua, heu, Somnus habet ſecum myſteria Mortis;
Dimidium Vitæ præripit alta Quies.
Quin conſanguineus, Mortiſq; gemellus habetur;
Et non eſt noſter, Mors niſi viua, Sopor.

In mali causidici funere.

307

Interit, ingenio qui iura retorsit inique,
Aeacus in pœnas ingeniosus eat.

Aulus
Citharœdus, Saltator, & Musicus.

307

Vnum opus Aule tibi chorea est, plectrumq; melosq;
At laus vni operi non datur vna tuo.

Ad senem
serentem Cupressum.

308

Ne tibi lenta feras Cyparissi semina: fructus
Vt videas, melius brassica semen habet.

De
tabulis elephantinis.

399

Quid turges, mortale Genus, tam diuite fastu,
Bellua cum sumptus hauriat Inda tuos?
Bellua, quæ gestat numerosum tergore Martem,
Et stat delicijs perniciosa suis.
Cum paruam in tabulam portenta hac Indica vertis,
Integer est assis parua tabella tibi.

Ad aucupem, & piscatorem.

310

Arborea lucus quà Cælum fronte lacessit,
Quà vario illimes pisce agitantur aquæ.
Nunc pennata tenes viscatis agmina virgis;
Pendula nunc escis æra recurua tegis.
Binis in campo studijs sic otia amantur;
Et Linum, & Calamus mutua dona parit.

Ad tyronem litterarum.

311

Virtutis stadium ne tu pede confice lento,
Nec sudore leui symbola docta para.
Præses gymnasij pennis est impiger Hermes;
Et multum humano rore Palæstra madet.

Inuitat amicum ad solitudinem.

312

Desere iam fastus, vulgi iam linque susurros,
Syluam adeas, blandè præscia sylua canit.
Pennigero resonant arbusta ingentia cœtu,
Et picto verax murmurat ore nemus.
Humanus viuit latitanti spiritus vmbra,
Fatidici rami fingere verba queunt.
Corticibus mens est, & sunt oracula frondes;
Dodona est paci sylua canora tuæ.

Ab omnibus auxilium sperandum.

313

Multiforum Suber longè torpescit in agro;
Et tamen Oceano naufraga membra leuat.

De Pictore male Aestatem exprimente.

314

Hic, dum flammantis sitientia germina terræ,
Et studet arentis pingere rura plagæ.
Stultus amat, nullos in vultibus esse colores,
Et nudo promit corpora sicca solo.
Non hic culta Ceres gemmanti turget arista,
Nec vitis roseas ditat Iacchus opes.
Infelix steriles flos occidit inter aceruos,
Atq; æstu dices. Aspera regnat hyems.
Dum nimis in media Pictor sitit aridus arte,
Languet, & est formis æmulus ipse suis.

De

De Gyldone
lippo fure.

315

Hic fur arte valet, nec lux nocet imbre fluescens,
Est oculus lippus, sed piceata manus.
Argum habet in dextra, si non in lumine Gyldon,
Et plus in tenebris noctua cæca videt.

In carmina
insulsissimi poëtæ.

316

Somnia non credo, quæ sic deformia fingis;
Tam fœdo Morpheus non venit ore mihi.

Litis sectatori.

317

Vt causam euincas, petis horrida frigora brumæ,
Et tibi iam notis lis calet acta foris.
Quid victor tentas? rapida te te ocyus hora
Vel sine lite rapax vincere Parca potest.

De fonte Barbarino
in Sanctissimæ Trinitatis platea.

318

Græcia iam finxit, pelago caput abdere Phœbum;
Solem hic Roma videt fonte lauare comas.

In nauigantem.

319

Quid vada salsa secas, & quà sale cærula canent,
Infidum remis pellere marmor amas?
Cur te te pelago credis, cur æquora verris?
Et surdas auras carbasa muta vocant?
Incertum alternis dum pulsas Nerea dextris
Sic te Fortunam scis agitare tuam.

De Vere.

320

Non, dirùm fulgens, trifido Ioue fulgurat æther,
Nec Borea furijs icta remugit aqua.
Acris hyems grata iam Cæli soluitur aura,
Ardua Ver nemorum brachia fronde tegit.
Dulcè pruinosis guttis humus herbida ridet;
Reddunt Alcyoni consona saxa notas.
Diuitijs tumefacta suis stat gemmea Tellus,
Turgida rore madet, murice clara nitet.

In pictam comam Eurinni.

321

Parrhasio spirent canentia flabra Trione,
Et Scythici glacient candida signa Poli.
Tempora deludis: nam picto Eurinne capillo
Albentis senij tempora cana tegis.
Vnguentisq; madens nigrescit sordida calua;
Et tibi adulari florea discit hyems.

Laconi Vrbem relinquenti.

322

Linquis Dardanios Lacon Penates;
Linquit tecta lepor, iocus, venustas.
Risus perpetuo nitens sereno;
Aduentant Charites sinum solutæ;
Et tecum graditur comes Cythera.

Ad pauperem
virtute præditum.

323

Obscurum explorat clarescens gloria tectum,
Virtutemq; vltro sedulus ambit honor.
Qua laus occulitur, se prodit clarior; & qua
Abscondi voluit, dedita fama volat.

Ad eundem.

324

Priuata recubas intra confinia vitæ:
Non minor est virtus, sed minus ipsa nitet.

Ad Eumolpum aduersis in rebus dolentem.

325

Obsta Eumolpe malis, in fata audentior ito;
Auri pura fides igne probante datur.
Aduerso vt pateat virtus exercita fato,
Aeneas humeris sacra, Patremq; tulit.
Clara laboranti se se via pandit; Achilles,
Si non pugnasset, nomen inane foret.

Ad Licandrum magni, sed vani nominis scriptorem.

326

A te, Licander, mente qui diues tua
Inanè turges, & malè supellectili
Docta superbis, emere dum merces puto;
Tu scruta vendis, officinaq; ingenj
Mihi refixos congeris clauos iners,
Prafractam acerram, & vsibus stragulum breue,
Soleam iumenti, rubido ampullam sinu;
Vetusta pretio deminuta pallia,
Raroq; strigilem dente, dimidiam togam;
Rubiginosa desidem hastam cuspide.
Hebetemq; ab vsu acinacem, & raucam tubam,
Atq; inquinata sordibus veteraria:
Vilis popelle, leuia vendentem pete.

Vitæ fragilitas.

327

Tu vitam hanc texis Natura, vt stamen Aracnis;
Sicca æstas tradit, destruit acris hyems.

Status humanus.

328

Esse volo diues, vel inops, mediumq; recuso
Paupertas hominum est, diuitiaq; Dei.

Affectuum continentia.

329

Temperies aquis cum legibus omnia franet,
Et medijs soleat rebus inesse modus.
Non laudandus amor, non est rigor ipse probandus;
Ille furor iuuenum, morbus at iste senum.

Molis Aeliæ
festiui ignes.

330

Musa, qua Siculis exesa vaporibus antra,
Atq; Gigantæis albentes ossibus ignes
Semusta incolitis; tenui dum murmure plaudit,
Disparibusq; sonat digito decursa loquaci
Fistula arundinibus, patria secedite ab Aetna;
Et mecum intexto deducite carmina filo.
Magnum opus aggredior; pluuijs rorantia flammis
Agmina deciduo canimus labentia nymbo,
Et picturato flagrans examine Cælum.
Egelidum mihi torpet ebur; vos flammea cordi
Inspirate precor tantarum exordia rerum.
Aspicite, vt tremulos se se demittat in ignes
Extenuans Iuno; calidoq; adoperta sub imbre
Fusilis æthereas imitetur in aere flammas.
Sanguineam spargens aciem vomit atra minaces
Fax Cælo radios, variaq; in imagine mortis
Accensum ructat morituro sidere nitrum.
Haud secus Enceladū manibus post terga reuinctū,
Cum detrectat onus, cum motibus astra lacessit,
Fama est, Trinacrium semiusto è pectore sulphur

Eic-

Eiectare trucem, & fumo subtexrre Cælum.
Aelia nutanti tremefacta cacumine Moles
Semiambusta rotat flagranti incendia saxo;
Ventorumq; acies, pelagiq; imitata furores
Sulphure candentes vomit irrequieta fauillas;
Agglomerata ruunt, & sæuo turbine latè
Inflammant raucos mentita tonitrua bombos:
Non ita nymborum longè intonuere fragores,
Horrida centimanus cum se se in bella Typhœus
Immisit præceps; iaculis Cælum omne fatiscit,
Puluereiq; rubent elisis nubibus ignes,
Et feralè minax fracto tonat æthere murmur.
Artifici distincta manu volat atra per auras
Sanguineo fax crine minans, petit altera turres,
Pars inhiat tignis, & tectis fata minatur;
Exercensq; breui flagrantia prælia nisu,
Altera Tyrrheno quà ludit margine Tybris
Interitura iacet, pars cœco illabitur amni.
Seq; noua reparans acies Vulcania prole,
Hæc calamo inuerso nubem per inania findit,
Illa ruens fracta se se conuoluit arista;
Hic pluit irriguis rarescens ignibus æther,
Hic vomit in densum flammas reuolubilis æstus;
Sic caliganti ludunt reuoluta Mæandro
Agmina multiplici, Cælumq; ardore vaporant.
Iam picea ignito clarescunt nubila sulco,
Et Vaticani turbantur fulmine montes.
Augusta quamuis incinctus tempora lauro,
Aelius excutitur subiecta territus vrna;
Et victor ferro, vinci timet igne Quirinus.
Aegeria in fontem viridi conuersa sub vmbra
Pallescens trepidat; nigraq; breuissimus vnda
Mygdonios planctus renouat Cybelæius Almo,
Et Marij fluctus fracto stant murmure rauci.
Dum crepitat candens ignito sulphure Moles,
Auersata faces cœco Iuturna recessu

Ima petit, fractaq; dolens abſconditur vrna.
Virgo clauis incluſa tubis, & fornice longo
Ducta rigens pallet; tantiſq; exterrita flammis
Sixti lympha hæret; veteriſq; in culmine Iani
Rauciſono trepidat Pauli grauis vnda ſuſurro.
Quin ipſe Heſperidum Tybris regnator aquarum
Murmura cæruleis vix imperterritus antris
Suſtulit, & vitreos relegans à fronte capillos
Mirans expauit ſurgentem in fulgura Molem.
Tanta prole tumens longè ſonat Aelia rupes,
Et reſponſuro conclamant ſidera bombo.
Pallent ſtellarum torpentibus agmina flammis;
Et Titan excuſſus, inocciduiq; Triones
Aduerſa ignito ſubiere cubilia lapſu,
Occaſumq; pati cæcis didicere ſub vmbris.
Sic ſe ſe inſertis tollit glomerata maniplis
Flamma, & puluereos iaculatur in ardua fœtus,
Quotq; Polo natos, tot Matri funera reddit;
Et quot inhorreſcens ſe Cælo attollit ariſtis,
Tot cadit emoriens paribus damnata ſepulchris.
Scilicet infauſto feruet Vis improba niſu,
Funeſtoq; iacet fallax Audacia caſu.

Ad mortales.

331

Vir, canum eſt tempus; tamen eſt nil ocyus illo:
Ipſa etiam grauitas in tua damna volat.

Paulo lachrymas vetanti.

332

Fletum Paule negas, vrget quia funera fletus;
Ah non vrgetur, qui ſua fata ſubit.
Noctu Luna gemit, mortem quia manè ſubibit,
Stella vmbris pallet, nam cadet icta die.
Planctum fundit Olor vicina in fata canorus,
Et vana in tenues ſoluitur Iris aquas.

Altro

Aëre flet Iuno flammantia tela Tonantis,
Et terris lachrymæ sunt vada salsa Maris.
Sint alijs lachrymæ seu prænuncia damni,
Mortisq; extremæ tristia fata notent.
Nos vt flammantem Cæli reuocemur in ortum,
Spargimus occiduas rore cadente vias.

De Tempore.

333

Cuncta volubilibus quæ Tempus anile maritat
Orbibus, insidijs hæc vorat vsq; suis.
Quæ clara Eoo genitabilis axe renidet,
Languet in occiduo labilis Aura sinu.
Tellus picta comas primo si flore superbit,
Fit cinis æstiui Solis adusta face.
Nectareis vuis si vitem, Autumne, coloras,
Dextera, Hyems, niuea gemmea dona rapis.
Astra citant cursus, desudant stamine Parcæ;
Et celeri intereunt Tempora cana pede.

Ad mortales.

334

Cum tam dulcè canat subiturus funera Cycnus,
Læta, Mortales, discite sorte mori.
Nec timidi, ò fortes, fatalia damna subite:
Dulcè est, vel Cycno funus adesse suum.

In ærumnosum solitarium.

135

Ne curis cruciere miser, ne solus oberres:
Multo teste dolet, qui sine teste dolet.

Omnia caduca.

336

Occidit omne decus; Lacedæmonis arce Palestræ
Fracta in se recubant, occidit omne decus.

Occi-

Occidit omne decus; ſtabili iacuere ſepulchro
Ogygiæ turres; occidit omne decus.
Occidit omne decus; ſummo Rhodos aurea Phœbo
Obruitur dumis; occidit omne decus.
Occidit omne decus; claræ viguere Mycenæ,
At nunc caligant; occidit omne decus.

Tumulus magni Viri.

337

Virtus è tumulo volucri par euolat igni;
Ac tacito viuax ſufficit ore ſibi.
Et terris reſonet cum Laus memorabile nomen,
Nil ſibi Fama potens inuida ſaxa timet.

Ad doctum de morte.

338

Te fert atra dies, & fato mergit acerbo,
Viuere dum credis, funeris hora venit.
Atropos ex ferro tibi vitæ ſtamina rumpit,
Cui rigido duræ ſtant adamante manus.
Eſt ſua cuiq; dies, nos ſomnus ferreus vrget,
Feſſaq; perpetua corpora nocte cubant.
Inclyta ſed Virtus Stygias haud fertur ad vndas;
Non cedit fatis, & fugit illa rogos.

De eadem.

339

Mors eſt nox Vitæ, Nox eſt caligo Diei,
Sollicitare alas vtraq; docta ſuas.
At variæ redeunt reuoluto cardine noctes;
Sed dum Mors aderit, Nox erit vna tibi.

Lugenti extinctum amicum.

340

Dum ſecto nunc crine rapit Proſerpina amicum,
Tu nimis heu diro corda dolore premis.

Quid

Quid vanas imples querulis ploratibus auras,
Et toties laceras vngue rigente genas.
Ah fletum cohibe; nam vita incommoda vicit,
Quiq; in te viuit, ne perijsse dole.

De puero
in Tybrim submerso.
341

Fabula iam fuerat; sed dum rapit vnda puellum,
In Tybri Alcides insidiatur Hylæ.

Viro ærumnoso.
342

Sat lachrymis, pœnaq; datum, sat questibus actum;
Non leuibus guttis mœror abire solet.
Sors sua quemq; grauat; sed quo generosior vltro
Quisq; aduersa tulit, plus meruisse iuuat.
Ne querere in te ergo serie calcata malorum
Corda, nec inclusus sauciet ossa dolor.
Fortius obdura; duris patientia gaudet,
Sæpe & amara ægris herba ministrat opem.
Qui curis victor cupiat vixisse superstes,
Imperet vt melius, pareat ille prius.

Ad Horatium Flaccum.
343

Seu breuiter recubem, madidis seu dulciter alis
Pernox inducat somnia longa Sopor.
Transgredior, quocumq; vmbris riget horrida sylua,
Chloridis aut picta florea scæna viret.
Ceratis plumis alternos hispida terga
Ad motus resonant, & super astra volo.
Nec me sollicitat pondus; magnaq; superstes
Parte mei, inuidia maior, in astra feror.
Et fortè Icario cum mens mihi turgeat ausu,
Tu Flacce es solùm Dædala penna mihi.

Mors
vita melior.

344

Mortem fortè paues, sæuis dum vita procellis
In tua damna graui naufraga sorte labat.
Sæuo aduersantur tibi saxa Capharea fluctu.
Irrequieta ratem torta Malea vorat.
Et surdo attollens humentia lumina Cælo,
(Vanum proh gemitum) littus inane vocas.
Mortem ne timeas; sed Vita horresce procellas:
Nam qui sic viuit, dicitur ille mori.

Aeschylus
Aquilæ casu extinctus.

345

Dum mortem euitans campo sum tutus aperto,
Mortis damna infert Aliger ipse Iouis.
Heu, heu mortales, quid funera lenta putatis?
Innitens alis Mors properata venit.

Humana conditio.

346

Nascimur, & morimur; tenui pendentia filo
Omnia sunt hominum; finis origo viri.

De
paupertate.

347

Pauperiem haud timeo; sit sano in pectore votum,
Dummodo sim diues, pauper in orbe mori.

In mortales.

348

Quò nantes ruitis? quid Nerei iugera aratis?
Ah satis est vnum; ne geminate malum.

Tem-

Tempus.

349

Natura in terris diuerso tramite cursus
Ordinat, & varias iam subit ipsa vices:
Horrida cessat Hyems, siccantur Vere pruinæ,
Aestati Autumnus tergora adusta premit,
Nunc veteri, mox fronde noua se se explicat Annus;
Omnia Tempus habent, Tempore cuncta fluunt.

De Horologio.

350

Tempore quid leuius, rapidauè fugacius hora?
At famulo hìc hærent Tempus, & Hora pede.

Aliud.

351

Discite, præcipiti quid signet lingula motu;
Dum fugitiua redit, non reditura monet.

Aliud.

352

Sol, & Luna abeant; tamen hìc sine lumine vtroq;
Et Solem, & Lunam paruulus Orbis habet.

Aliud.

353

Muta silet, sed muta tamen dat lingula voces;
Indicat & tecum posse perire dies.

De statu humano.

354

Nil tibi nobilitas prodest, nec gloria Patrum;
Quæ non ipsi agimus, non ea nostra puto.
Pressa tument, & firma labant; humana rotantur:
Spes ruit alta Polo, tollitur ima Solo.

Pu-

Publij Fontani tumulus.

355

Publius hoc tumulo situs est; da veris honores
Hospes, & Hyblais sparge sepulchra rosis.
Sparge & opes Hyacinthe tuas, redolentia dona;
Flagret & Assyrio nobilis vrna croco.
At lachrymas compesce precor, nec debita morti
Iusta refer, nulli flebilis ille iacet.
Nam Phœbi, & Charitum vixit generosa propago;
Inter Apollineos gloria rara choros.
Iurè comes Musæ fama volat æthere notus;
Fama mori vetuit, sidera Musa dedit.

De mortuo Poëta.

356

Hactenus Aonidum lusi leue carmen in vmbra,
Et cecini Graio prælia digna pede.
Siue inflata daret grauiores Buccina cantus,
Luderet aut molli Calliopæa lyra.
Nunc Parca eripior, Musæ statuere sepulchrum,
Fleuit & ad cineres Cypris amata meos.
At mihi Pegasidum pubes generosa Sororum
Quid iuuat, & nuda simplicitate Charis?
Desine mirari, melioribus inuidet Orcus;
Et solùm est Cycnis Regia digna Polus.

Moriens.

357

Si vixi, morior; semper lux iungitur vmbris;
Natus ad interitum nascor, & intereo.

Consolatur ærumnosum.

358

Sors aliquem si fortè premit, Ioue dignus habetur;
Iustum in delicijs non habet ille virum.

Deli-

Deliciæ famam minuunt, tormenta sed augent;
Et mage quam Crassus, Regulus esse velim.
Curtius à cauea memoratur, Scæuola ab igne,
Scipio ab exilio, viuit ab ense Cato.
Si pœnam meruisse doles, par gloria pœnæ:
Maiori è pœna gloria maior erit.

Puero feroci.

359

Dum venis ferox in auras,
Numen ignis efferascit;
Ore stat seueriore
Turbinum Aeolus creator;
Tristè fulminis satelles
Armiger furit Tonantis;
Nubiumq; grandinumq;
Regna sæuiunt Olympo.

In funere Nerotti Iurisconsulti, dum Cæsijs, & Sabellis inseruiret.

360

Roma tuo viuax iterum sub iure superbit,
Cæsia dum Roma iura disertus agis.
Roma tuo victrix iterum sub iure triumphat,
Dum Romano agitas iura Sabella foro.
Nunc fatis Nerotte tuis Vrbs Dardana languet,
Et caliganti mersa dolore gemit.
Nec quondam cecidit; sed tu dum morte teneris,
Nunc Roma heu tandem te pereunte iacet.
Sospite Nerotto, vixisti Roma superstes;
Nerotti ad funus, incipe Roma mori.

Ad lectorem de Infantis sepulchro.

361

Stultus in exiguo miraris corpore mortem,
Et rapta ingenti parua trophæa manu.

Ne

Ne stupeas, Infans si funere mergitur atro;
Nam grandis natu tu quoq; funus eris.

Tumulus vatis.

362

Hic situs est Vates, heu duri iniuria fati,
Conatum exhausit Mors violenta suum.
Hac Phœbi carmen, Phœbusq; recumbit in urna;
Numen flere satis nulla Camœna potest.

Tumulus docti, & elegantis viri.

363

Si digna extremo funduntur dona sepulchro,
Aptaq; fortunis munera debet honor,
Det gemmas æquor, det flores terra sepulchro;
Ingenij, & morum gemmaq; flosq; iacet.

Adolescentulo morienti pro patria.

364

Prima ætate senex moreris; qui deserit orbem
Pro patria, meritis interit ille senex.

Tumulus viri submersi.

365

Mersus aquis, modo claudor humo; meq; omnia cōdūt;
Semisepultus aquis, & tumulatus humo.

Morientis adolescentuli verba.

366

Ergo ne intercam, primoq; ætatis in ortu,
Extremum vitæ cogar obire diem?
Proh rerum series, & dona fugacia lucis.
Hora rapit breuior, quod breuis hora dedit.
Nil prosunt vires, & pubescentibus annis
Vita; quibus poteram viuere, victus obij.

At

At quid florenti deceptus conqueror æuo?
Quo solum merito vita sit acta, refert.
Nam fati quicumq; sui miserabilis horas
Venit ad extremas, interit ille senex.
Eia age nunc ergo. Libitina quid inuida cessas?
Eia age, fer rabidas in mea fata manus.
Sera es, dum venies; vixi moriturus, obibo;
Et cinis ater ero, qui cinis ante fui.
At rediuiua mei pars æthere surget amicoſ
Et modò quæ tegitur, mox teget vmbra Polum.
Vix hæc; cum moriens cessit rediuiuus in auras,
Inter Olympiacos nobilis vmbra choros.
Nec mirum, si viuus adhuc succedit Olympo,
Non moriturus abit, qui meriturus obit.

In obitu N. de Franchis
cui tres aureæ Coronæ erant Gentilitiũ Insigne.

367

Quod tres vicisti Parcas, post fata superstes
Iurè, ò Franche, tibi terna Corona datur.

De eodem.

368

Regni insigne tenet, non regni possidet vsum;
Et quod non habuit, sat meruisse fuit.

Eidem.

369

Vna satis fuerat, si tellus victa fuisset;
Quod mortem vincis, non satis vna fuit.

Ad
eundem.

370

Myrthea sint alijs, alijs sint laurea serta,
Querna corona alijs, aurea sola tua est.

De eodem.

371

Puluere Olympiaco fuerat iam clara corona,
Vertice Olympiaco nunc magis illa nitet.

De partu humano.

372

Peruigil accendit, nondum Phaëtonte renato,
Emorituram atro Lucifer axe facem.
Sic materno Infans venit in sua damna recessu;
Et non dum exoriens, incipit ipse mori.

De morte.

373

Ne stupeas, si Mors artus tibi soluat inanes,
Ossea Mors corpus deuorat ipsa sibi.

De eadem.

374

Si fata immineant, Cælum ne quære salubre,
Pontinas auras Tuscula villa dabit.

Vitæ breuitas.

375

Cursu clarus Equus Pisæo carcere anhelat,
Et campo tentat liberiore frui.
Aure micat, quatit vngue solum, dat in aëre crines,
Nare grauis fumat, lumine flammat atrox.
Ore tonat, flatuq; auras incendit, & vltro
Pectoris impulsu frangere claustra vides.
Cum subito (alipedi grata irritamina proli)
E torto stridens buccinat ære canor.
In cursum rapitur, saltuq; repagula vincens
Post se spectantum lumina linquit Equus.

Ira

Ira illi pigra est bacchantis in æquora Nili,
Et longè saxum quæ Baleare rotat.
Telorum vincit pennas, & fulminis iras,
Præcipitemq; sequi nec leuis aura potest.
Luditur ipse oculus, vix meta à cardine distat,
Momentoq; breui semita longa perit.
Deplora infelix nostræ confinia vitæ;
Sic Aetas properat cursibus acta suis.

In funere Alexandri
Card. Montalti.

376

Qui properas, mœsto quà torpet funere Roma,
Siste; & Alexandros posse perire, dole.

In
æternitatem famæ.

377

Falleris; haud perijt Montalti viuida virtus;
Omnia labuntur, grandia facta manent.

De
tumulo.

378

Languet Alexandri dum Martia Roma sepulchro,
Ipsa iacet proprio Roma sepulta rogo.

In faces accensas.

379

Plurima fax ardet, summa sed verius Vrna
Pro face, Alexandri viuidus ardet honor.

De Leone.

380

Dum feruens Leo celsa petit, calor æstuat Orbe;
Dum Leo summa tenes, æstuat orbe dolor.

In

In Stellam.

381

Gaude Roma, Polo iam ſtella refulſit Iulij
Nunc & Alexandri ſidus in axe micat.

De Montibus.

382

Ardua, nil mirum, ſi Mors iuga deijcit ictu;
Solùm inhiant ſummis fulmina miſſa iugis.

De Leone, Montibus,
& Stella.

383

Dum Leo, Mons, Sidus Cæli ſuper ardua fulgent,
Per te ſat ſtellas ignifer Axis habet.

De pudica Veſtali,
quæ perforato cribro aquas exportauit.

384

Illæſum Roma monſtrat ſacra Virgo pudorem,
Et cribro fidens fortiter haurit aquas.
Vnda loquax verè nunc eſt; & teſtis honorem
Dum probat, eſt omni purior vnda fide.

Ad Genitricem
de puello mortuo.

385

Vix oritur Terra, & Cælo tuus additur Infans;
Si quereris, Diuum progenuiſſe doles.

In obitum
ſtrenui Ducis.

386

Omnia Mors vincit, ſecum fert omnia Fatum:
Tu Morte, & Fato celſior aſtra premis.

In

In obitum optimi Viri.

387

Elogium est alijs mendax, & fama sepulchri;
Vera canit solùm, te pereunte, Fides.

Ab Iride pacem implorat.

388

Sat Ioue sub gelido rauci tonuere fragores,
Dira sat ignitis micuerunt fulmina pennis,
Obriguere hyemes, & certauere procellæ.
Iri, decus mundi, gemmantis Filia Solis,
Thaumante sata,
Pacatum solium ipsi suffectura Tonanti;
Per te dies, & æther
Læta purpurat,
Mitis splendet:
Inter & mixta grandine nymbos
Roscida Pubes,
Soror Auroræ,
Fulgurantibus nitoribus rubes,
Atq; nubibus corallinis micas.
Quamuis axe nigranti
Fœcunda minis
Iuno rigescat,
Tibi colorat nube Sol varia caput,
Velum pyropis asperat Ganges tuum,
Virens Olympi gaudium, & Iouis decus:
Curuis humeris
Aërem secans,
Clara per inanes euehis currum vias,
Pictos rotarum tractibus flores paris;
Auspicijsq; tuis pacem dat belliger Arcus:
Cælo nuncia Solis,
Terris arbitra lucis,
Flaua Thitonis tibi cedat vxor,

Indicis quamquam veniens ab oris
Prole gemmarum reuehet superbam
Axe quadrigam:
Tuo in sinu intuens opes
Ipse minori palleat ostro,
Victoq; gelet Cynthius auro.
Somnos oculis Aurora fugat;
Phœbus repetit luce labores;
Sed tu syrmate nitente clara
Iunonis gelida virens Ministra
Pacem sideribus cies serenis;
Gaudensq; terras motibus graues
Vlnis coloratis fouere,
Roribus arua rigas,
Germine prata beas.
Verisq; parturis
Ab imbre fulminante Soles.
Quà Cypri in oris luxuriant agri.
Florumq; proles Dædala fulgurat
In Solis faciem, radijs armata, colores;
Virgo, rosea corolla nitidam implicita comam,
Tua dextera gemmans
Hortum colit Dionæum, & amabilis opere
Fertili fouet Idali recessus.
Das Charitum capiti serta reuincta rosis,
Et Paphium violis cingis amica Deum.
Quin roscida ponto,
Quin fulgida Cælo
Eoa Memnonis creatrix
Oris ad specimen tui
Aemulata fulgurāte luce clarum Apollinis iubar
Tergit lactea frontem,
Comit aurea crines.
Iri, stillans rore siderum,
Linque nubes, tange humum,
Pulcherrima vultu vario,

Dea vaga, placida, blandula, face nitida Poli.
Sat cade terra fumans
Sanguineis maculis riget.
Caua sat galea,
Cui coma plumeo
Stat dira vertice,
Rubet, ò Mauors;
Et sat Enyo
Per cruenta Barbarorum castra bacchantũ nece
Anguibus sonans
Pralia sauit.
Discolore remigans volatu
Infesta vulneri,
Fœderiq; amica
Iri, pennas quate.
Radijs potens,
Quà procul minax
Graui flagello saua Martis asperascit ira,
Inter horrentes galeas, feroq;
Acriter splendens adamante vulgus,
Disijce bacchantis feralia robora Martis.
Et per te vetitis mitescat cadibus Aetas.

De mente.

389

Mater consilij Mens est, & prascia rerum,
Atq; animæ sedes, qua cubat ipse Deus.
Est ratio, cernitq; atq; audit. Catera terris
Luce, vel auditu, vel ratione carent.

De renum calculo.

390

Vt rigeant diri grauiora incommoda fati,
En grauis in nobis pressat arena latus.
Interno se se lapidosa coagula dorso
Densant, & duro viscere membra rigent.

Deucalionea prisco iam munere dextra
E saxo natos quis neget esse viros?

In
laudatorem
diuitis auari.
391

Ne lauda, inanis qui tumens vena boni
Non proprium in vsum, sed suam in pœnam miser
Vndantis auri fulua prædatur vada;
Et quà vnionum nobilis Ganges parens
Tributa soluit gemmea vndarum Patri,
Frustra petitos opibus expoliat sinus.
Ne celebra, auara qui vigil semper siti
Euisceratis inhiat India iugis.
Et curiosis vulnerans rastris humum
Frustra emedullat antra Mygdonia; malè
Laborioso carmine æternas Mydam.

Ad N.
poëtam.
392

Diuerso canitur tibi nomine carminis Autor,
Cui lauros Helicon, cui parit Indus opes.
Arcitenens Numen, Pataræ cui regia seruit,
Latonæ soboles, Castaliusq; Pater.
Cycnos voce fouens, qui fert oracula terris;
At vanus nulla stat tibi Phœbus aue.

De
animi candore.
393

In terris qui recta colit, qui vera fatetur;
Par. Scythica cadens dicitur esse niui.
Alba fides animis Cælo clarescit aperto;
Et tamen albenti sub niue terra latet.

Ad

Ad N. Adulterum.

394

Dum tibi, mœche, ſuas latè fundentia gazas
Aſtra ſecunda ſinu liberiore fauent.
Iurè tumes; pleno tibi cornu Taurus inundat,
Aurum fert Aries, dat Capricornus opes.

De Græcarum Vrbium Inſignibus.

395

Sphynge Chios gaudet ſoluente ænigmata; Athenas
Ore ſagax tacito Noctua clara notat.
Leſboam ſignat Mitylenen apta papyris
Sepia ſcribendis: Græcia tota ſapit.

Magno Poëtæ.

396

Syrmate ſeu Tragico tumeas, Fidibuſuè canoris,
Aut Elegus mœror polluat imbre genas.
Aut plaudat Graio per te Comœdia ſocco;
Grandiauè Heroo carmine bella tones.
Vatum docta tuo dependent agmina ab ore:
Iam ſilet Aonius nudo Helicone Deus.

De Alconis Vacca.

397

Ruſtica quadrato ſurgunt circumdata muro
Mœnia, cornigeris latè exundantia turmis,
Paſtor vbi felix animi, propriamq; benigno
Corde fouens ſortem, Cæli ſecurus aperti
Indulget ſpatijs, vani gens neſcia faſtus,
Cara Deo ſoboles, & cultu paupere diues.
Quà cuſtoditi ſtabulant examina vulgi,
Hinc vetus effoſſam grauiori pondere terram
Bos premit, Idalias oblitus corde fauillas,

Cum

Cum repetita olim cupidæ iungebat amicæ
Oscula, vimq; ferens blandè insidiosus agebat
Luctantem dorso, Veneremq; in bella vocabat.
Inde, antiqua gemens reuoluta exordia vitæ,
Fracta auo coniux, lentè suspiria corde
Fundit ab extremo, & patiens dispendia lucis,
Ipsa sibi est pondus, requiemq; imitata sepulchri
Obuolui assuescit fatorum conscia terris.
Cætera stat vario soboles spectanda nitore,
Et pictis circum ludens diuersa figuris
Latius exundat; sed nos non ire per omnes
Est animus; tantum Alconis memorare Iuuencā
Nūc mihi surgat opus, quæ forma vt cætera vincit
Ipsa sua maior, sic pro omnibus vna canetur.
Vt stabulum repetens Alcon, vestigia primum
Imprimit, hæc aliis se se admirantibus vltro
Offert, & blandè venienti occurrit amica.
Pignora stant pacis vultu, nec fronte minaci
Ira recrudescit, nil formidabile lumen
Tristè monet, toto sed ludens Cypria in ore
Intus Acidaliæ mouet irritamina flammæ.
Aut Venus in vacca est, Venerē vel vacca decēter
Euictura refert; ludit, risusq; procaces
Explicat, & facili diffundit gaudia vultu.
Dedignata parem sortiri in amore iuuencam
Cognatas refugit turmas, & sola placere
Optat amatori, riualibus inuida flammis.
Illo se patitur tangi, lasciua videri
Illi se gaudet, tacitiq; recludere docta
Sensum animi elinguem, mugitu interprete gaudet
Pectoris arcani mutas reserare fauillas:
Quodq; potest, imis altè suspiria ducit
Sensibus, & sonitus animans pro voce remugit;
Et grauiter querulo strepitus imitamine mœret,
Attonitasq; docet mugire in amoribus auras.
Sic vbi fœcundis irrorat pascua campis

Thessalus Amphrysus, Tymbræo lusit amica
Fortè Iuuenca Deo, venerataq; Numen Olympi
Plausit, & afficiens tenero præcordia sensu
Gestijt æthereo blandè inseruire Magistro;
Echo vicina retulit de rupe boatum.
Admouet interea lactenti mulctra Iuuencæ
Alcon, officijq; memor sale guttura purgat.
Hæc patulo iniecti guttas salis excipit ore,
Bisq; iterumq; petens fundentia plura fatigat.
Oscula dat palmis, dum palmas porrigit Alcon.
Officiosa manum lambens; atq; oscula vultu
Imprimeret, nimium, ne dum vultu oscula figit,
Obtinuisse putet; tanta est reuerentia amanti:
Et si emissitijs mirari forsan ocellis
Quis Vaccam vellet, poterat non Vacca videri.
Non aliter quondam ficti sub imagine vultus
Ambiguo potuit sensu Memphitide terra
Fallere Custodem reboans vaga Filia Regis.
Quin Alcon tunc ipse cupit libare Iuuencæ
Oscula blanditijs; & ni fors victus honore
Elangueret amor, victus pudor esset amore.
Mox ergo admotis demulcens vbera palmis,
Euocat in roseas lactentia dona mamillas:
Stillat inexhausto lachrymans ex vbere nymbus,
Mulctraq; lactenti spumant albentia rore.
Sic nitet intactis Rupes adoperta pruinis,
Sic Via lactenti discriminat æthera sulco,
Et fracta argenti in morem Maris albicat vnda.
Ambrosiæ hos succos credas, has nectaris vndas
Si Puer hìc Ida, si Rex hìc ætheris esset,
Sic rura ambrosium laticem, sic rustica tellus
Nectar habent; terras & ni coluisse negarent
Diui, has Numinibus terras coluisse deceret.
Turgida lactentes producunt vbera riuos,
Quæ facili trahit arte Alcon, & pollice pressat.
Flumina totq; cadunt roranti albentia nymbo.

Quot manus ipsa vocat : dextra est, quid sedula quærat,
Explorare labor, stat iussa capessere mammis.
(Dulce ministerium) dextra obsequiosa mamilla
Paret, & in lactis rores mollita liquescit.
At non tam digitis, quam blando concita sensu
Sponte Iuuenca calet, fœcundius vbera præbet
Alconis pressanda manu, iuuat ipsa prementem,
Tactaq; plus tangi caperet; & lacte madentes
Solum vt tangatur, læta est habuisse papillas.
Huic fatis viduata suis concederet annos,
Si viuax virtus, quæ summi luminis vsu
Est animus pollens, aliena in membra mearet:
Quodq; potest vnum, lactentes blanda ministrans
Altricis rores animæ, dat munera vitæ.
Sic Vacca Alconi lusu blanditur amico,
Distentisq; grauat spumantia mulctra papillis.
Nec tibi virgultis, humiliuè incincte myrica,
O Pan, Arcadicos saltus nunc inuidet Alcon,
Nec, Phœbe, innectas quamquã tua tẽpora lauro,
Ille tuam optaret sortem, seu Thessala Tempe,
Aut amnes, & culta tenes fœcunda Lycei,
Armento aut spolias Amphrysi roscida prata,
Vel Cyrrhæ ad fontem patula bibis aure susurros.
Parce, Alcon, ah parce manu: sat mulctra biberũt,
Argento viden vt liquido spumantia candent:
Gaude, iam gaude, nam per te ferrea terris,
Nataq; iam fatis grauioribus exulat Aetas:
Nunc meliora manent. Dum tu mulctralia cõples,
Alta redordimur primæua exordia vitæ,
Saclaq; lactenti currunt argentea riuo.

Quarta Frons

IANI

Sacra.

DE S. DOMITILLA Romana.

1



AVGVSTVM Domitilla sub Tyranno
Dum corpus domat, astra crine gestat:
Dignum est sideribus caput Latinum.

Templum Vaticanum à Paulo V. exornatum.

2

Si Cælum est Templum; Pauli admirabere molem,
Qui potuit terris ædificare Polum.

Precatur Domini natalem amico prosperum.

3

Dum puer exoriens vitæ prodibat in auras,
Vrebant olim thura Sabæa focis.
Et bona felici dicebant omine verba;
Aëre stent venti, sit sine nube dies.
Nunc ergo in terris oritur dum Rector Olympi,
Et spes in nobis vota secunda fouet.
Prospera verba dabo, diffundam thura Sabæa,
Thura Sabæa Deo, prospera verba tibi.

De templo
innumeris votis onusto.

4

Nulla hic templa vides: (effracti insignia Martis)
Pendulus hinc thorax sanguinolentus hiat.
Inde hasta, & dubiæ nutant tum casside cristæ,
Sacraq; terrificus mœnia vestit honor.
Compede cum gemina Phrygius suspenditur ensis,
Et resonans ferro multa catena riget.

Munera stant mellis, fruticesq; & cerea membra,
Votiuoq; auro splendet amicta Ceres.
Pura manus flores, pictas dedit ægra tabellas:
Cumq; hæc enumeres, plurima templa vides.

Ad
SS. Innocentes.
5

Ostensa, non plagis data Eois, cohors Amorum,
Pudore clara germina, & sacra ætheri propago,
Dum sæuientis inter horridas minas Tyranni
Vestra nece efferascit atrox Regiæ theatrum,
Madens vbiq; guttulis puris humus nitescit.
At mortis inter atra, dum lux innocens renidet,
Et nunciatis aureum Solis iubar superni,
Qui clara ab arce siderum vitæ diem recludit,
Eoa regna rore, non cruore, vos rigatis.

De S. Clemente
Pontif.
6

Occiduis pelagi Clemens immergitur vndis;
At magis occiduis viuidus exit aquis.
Et Cælo iam transtra vides, iam vela parare;
Sunt Cælo, vt placidè velificemus, aquæ.

Ad Proculum.
7

Esse Deum credas; nil vltro Procule tentes;
Qui mente à te capitur, non Deus esse potest.

Ad Laurum
de S. Laurentio.
8

Clara immortali cum præstes, Laure, iuuenta;
Iure à te Laurens nobile nomen habet.

Cum

Cumq; animas Cælo renoues; non Cypride Myrrha,
Sed Lauro-Phœnix viuida sæcla trahat.

Ad S. Carolum.

9

Carolus innocuo dum Cæli flagrat amore,
Terrarum nocua tangitur ille face.
Sed iurè ignito piæ flamma pepercit Amanti,
Non etenim flamma flamma nocere potest.
Quid, Fax, Heroi pereundi damna minaris?
Tu potius facibus digna perire tuis?
Ima hac valle Heros humili si mente moratur;
Ima vbi vallis hiat, fulmen inanè tonat.
Quod si animo constans adamãtem in pectore gestat,
Fortis vbi est adamas, irrita flamma furit.
Ergo sulphureos cohibe Fax improba fœtus,
Non Orci ignis obest, cui Deus ignis adest.
Proh stupor: impunes iras mouet ignis amicus,
Et gaudet vires non habuisse suas.
Nec miror, cur non vrat; Fax vreret illa,
Sed scelus agnoscens, obstupefacta riget,

In Hominem Cæli inuestigatorem.

10

Crede Deo; non fert oculus tot lumina Cæli:
Plus est cæca Fides, plus oculata videt.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

11

Fit Deus esca viris: Cælum si Liuor adiret,
Posset iam terris inuidus esse Polus.

Hominem obduratæ ceruicis ad Cælum inuitat.

12

Non solidus sit corde rigor; qui proximus astris
Est ignis, liquidum fundit vbiq; iubar.

Mo-

Mobilis est aër, & mox cita voluitur vnda:
Quæ longè à Cælo est, consolidatur humus.

De æreo
Tauro S. Eustachij.
13

Dux Christi Eustachius feruenti bellat in ære:
Terrarum in castris Aetheris æra meret.

Ad D, Petrum
de victoria à Mago reportata.
14.

Cælestis alti Ianitor ætheris,
Cui serua pallent agmina Tartari,
Et summa victricem dederunt
Astra, Mago pereunte, laurum.
Mollitus aurem laudibus admoue;
Fastu procaci se similem Deo
Dum iactat atrox, & rebelli
In Superos malè fertur ausu.
Iam lætus inter nubila condidit
Caput, Gygantum more furentium,
Quos plectra narrant fabulosa
Aethereo minitasse Olympo.
Ast nisu inani, te Duce, concidit
Ferale Monstrum; qualis in arduis
Arbor Sabinis, Ditis atri
Quam Stygiæ timuere sedes;
Quæ celsa postquam sustinuit minas
Nutantis æui, dum fera stridulus
Dat bella Turbo, fluctuantem
Sollicitat ruitura casum.
Tunc sæuientes ingeminant Noti,
Pugnamq; miscent: mox quatitur iugo
Arbos hiulco, & per supinum
Saxa vehit reuoluta montem.

Sic

Sic dum tumentem dirus in æthera
Se iactat vltro, fulmine concidit:
Stridensq; Tarpeium ruina
Præcipiti columen fatiscit.
At nil caducum territat, aurea
Quem luce clarum sidera iam beant,
Cui pectora inconcussus altè
Rex hominum generosa firmat.
Quamuis in orbem Dux Acherontius
Iratus antris è Stygijs tonet,
Iraq; bacchentur Tyranni
Vipereo tumidi Lyæo;
Nil est timendum; mille nocentium
Damnata Cælo prælia perstrepent;
Orco catenato, minantum
Sceptra ruunt pauefacta Regum.

D. Paulo, cuius caput
abscissum peperit fontem.

15

Ense Deum fassus paris vndam morte; sacrato
Vt quoq; post mortem vulgus in amne laues.

Ad S. Petrum
Cruci affixum.

16

Infans exoritur decliui vertice Terris;
Dum Petre sic moreris, nasceris ipse Polo.

Dæmoni in solitudine
Christum sollicitanti.

17

Audes Horto hominem, sed Eremo fallere Numen;
Diuerso tentas horrida damna loco.
Illic amentem superas, hic falleris amens;
Hortus lætum omen, triste at Eremus habet.

De D. Agnete Virgine.

18

Agnes in medijs potes rapinis
Armatam Venerem domare nuda;
Fornex Idalius schola est pudoris.

De SS. Innocentium nece.

19

Innocua ad cadem sobolis, clangoribus aër
Frangitur, & lachrymis tota madescit humus.
At dum, Lux, atro non palles mitis amictu,
In Calo Titan incipis esse ferox.

Ad D. Franciscum niuibus obuolutum.

20

Fama sile, in Circo, vili dum cade calebat,
Romanos albis enituisse togis.
Dum glacie in Venerem pugnas Francisce, fauillis
Sunt generosa tuis Amphitheatra Niues.

In diem Christi natalem.

21

Pede cita, vaga Cohors,
Quate sola, quate iuga:
Cane sacra; Deus adest.
Meliore fulget auro
Rutilantis aula Cali.
Stygis aqua graue tonat;
Procul age, Scelus abi:
Fuge fera procul Hyems.
Deus axe venit Infans,
Subit ima Rex Olympi.
Iocus habet, amor habet
Caua loca, mare sonans;
Noua sata parit humus.

En-

Fugit atra culpa terris;
Stupet vmbra Solis ortu.
Pede fluit aqua leui,
Dea vaga nemus alit,
Rosa viret, olet ager.
Radiata ſplendet vmbra,
Nitet inter aſtra Phœbus.

De S. Io: Baptiſta
capite cæſo ad Herodiadem.
22

Baptiſtam obtruncas; Vrbs ſit iam triſtè theatrum,
Et menſæ eſt cædes ſanguinolenta cibus.
Non pede delectas, at luctibus atria terres;
Corde ferox, odio fœmina, morte fera.

Ad S.Matthæum.
23

Nutrieras gazis ſitientia corda; Deoq;
Addictus, cultu paupere, linquis opes.
Felix: iam diues terrarum ſorde fuiſti;
Nunc, vt emas Cæli ſidera, pauper habes.

Ad Lazarum
quarta die à morte reuocatum.
25

Poſt tumuli tenebras, ſibi clari in luminis oras
Æterna Chriſtus luce recluſit iter.
Tu quarta vel luce domas, ò Lazare, Mortem:
Plus hominem, quam ſe, diligit ipſe Deus.

De
Chriſti reſurrectione.
25

Quæ iam velarunt Dominum, nunc ſaxa reuelant:
Tu, pluſquam tumulum, corda reclude Deo.

Hic

Hic tumulus Mortem, non mortua deuorat ossa:
Viuum, dum functum concipit, vrna parit.

Thomæ Christi
latus scrutanti.
26

Thomas, cur dubio malefidus corde, Magistri
Tangis Idumæa vulnera aperta manu?
Dextra resulcat amãs, quæ iam manus impia fecit,
Et pietas Dominum non nisi cruda probat.

S. Felicitati,
de Filijs martyribus.
27

Mater, dum vita vix tradita germina Terris,
Et Cælo à tristi reddita morte vides.
Es verè Felix; namq; est non vera creatrix,
Qui non sic Natos vellet amare suos.

Fœminæ in horto Christus primùm apparuit.
28

Prima Deum noscas, qui victa morte triumphans
Primæua potuit tergere membra lue.
Si iam vitæ hostem nouisti prima, salutis
Authorem debes noscere prima Deum.

Paulus Eremita in Aegypti solitudine.
29

Saxosa montium eruantur viscera,
Vt tecta in astra turgeant.
Acuminata Pyramis fronte extruat
Phari sepulchra Regibus.
Sulcoq; Nilus fertili campos aret
Terris daturus horrea.
At me sub vmbris æsculi, aut platani comis
Aeuum iuuabit degere.

Nec

Nec hospitali est amphora, aut opus mihi
Liquente Bacchi purpura.
Ales sereno dapifer è campo cibum
Penna ministrat remige.
Dimidius arcet panis exanguem famem,
Sitimq; riuus temperat.
Et rore melius nectar Hyblæo mihi
Fauces hiulcas irrigat.
Thessalica Tempe saltibus Pharia plaga
Vmbrâ minori seruiant.
Ferax loquaci fronde mentito Ioui
Dodona frustra sibilet.
Tu, celsi Olympi Rector, his vmbris potens
Recludis Orbi oracula.
Quin ipsa montium antra iam profugo Deo
Sedem dederunt hospitam.
Sicco nitescens sidere arentem Canis
Terram maritat fluctibus.
Superbiente copia Nilus tumet,
Et totus Aegypto patet.
Miracla sileant Orbis, & tacito stupor
Mentem rigore contrahat.
Ah quid, inhiantes opibus insanis, rate
Sulcatis æquor Indicum.
Euisceratis Punici sobolem maris,
Vt flammet ostro Regia?
Et flos vt hortis crine peregrino micet,
Census auorum perditis?
Loton virentem Lybia ne iactet mihi,
Nec prole bina fertiles
Phæacis horti Regis assiduas opes
Autumno amico præbeant.
Longè sit aula sordidata purpuris,
Dant ostra natiua Rosæ.
Præda hinc Erythræ Margaris radiet procul;
Conchis magè albent Lilia.

Recedat auro squallidum solij decus,
Par Caltha Soli fulgurat.
Valle cinesiat vernus Elysia nitor
Fulgens odoris gemmulis.
Luxuriat hortis Otium, & florum thoro
Virtus hebescens accubat.
Mihi puriora Lilia, & Caltha, & Rosa
Sint ipsa Cæli sidera.

Virgini ob pudicitiam sibi vultum violanti.

30

Ore venustatem monstrans, pariterq́ pudorem
Displicitura viris, sed placitura Deo
Vulneribus lacerat vultum sibi Virgo decoris;
Cumq́ minus pulchra est, pulchrior illa nitet.

In Voluptatem ad amicum.

31

Marmor eris, si forte tibi se se ipsa Voluptas
Offeret, anguicomis sæua Medusa comis.
Fortius obdura; deforme os credito Forma:
Ne sit Forma lapis, sis lapis ante tibi.

Martyrum æterna felicitas.

32

Agmina Christiadum tenebrosa hypogæa relinquunt,
Et cupida in mortem, ne moriantur, eunt.
Nam damnis maiora suis super atheris oras
Aeternam in vitam fertile germen habent.
Diuorum clades è ferri pullulat ictu;
Et numero Mors est vberiore Parens.

Ad S. Benedictum inter spinas se voluentem.

33

Tu Venere exardes, at acutis vepribus ictus
Langues, & fuso sanguine membra domas.

Pur-

Purpureis decorata rosis iam Cypria risit:
Purpureis spinis nunc superata dolet.

In illa verba
Petrus flebat.

34

Manalem ad lapidem nubes Roma expulit; & tu
Dum lachrymis manas Petre, serene nites.

De B. Virgine
in Cælum assumpta.

35

Virgo relinquit humum, superoq; elata triumpho
Aura ancillantis tendit in alta rotis.
Ambrosios aureis humeris diffusa capillos
Aërias Arabo ditat odore vias.
Luce sua felix, ignis transgressa pyropos
Cælum sapphiro nobiliore petit.
Gemmarum freno, & florum vernante flagello,
Iridis, ad currum, colla iugalis habet.
Virtutum pennis subit aurigantibus axem:
Sternunt astra vias, æthere Virgo volat.

Virgo, cui
faciei forma displicebat.

36

Plurima turba meo miserè exardescit in ore,
Infestaq; mihi sunt mea damna genæ.
Heu quò me vertam, si me Natura fefellit?
Insidias vultus fabricat ipse sibi.

Ad sacram
Vrbem Romam.

37

Marci, ac Traiani te clarat bina Columna;
At Petri, & Pauli bina Columna beat.

De

De S. Quirico,
qui infans passus est.

38

Quiricus in teneris Acherontem despicit annis.
Et frustra Infanti saua Tyrannis obest.
Namq; potens animi, & stellis fulgentibus aptus
Ipso vitæ aditu gaudet adire necem.
Hoc Duce, mortalis, Stygium contemne Gygantem,
Et Cæli patrios disce subire lares.
Frustra maiores iam Styx coniurat in annos,
Vincitur à Puero, qui tonat igne Gygas.

Ad Romam de Virgine, quæ in
tormentis ignem subijt.

39

Flammæ iras patitur Virgo pubentibus annis,
Nec Vulcano vri depopulante dolet.
Tollat vt in summam se se præstantior æthram,
Viuax in sæuis æstibus esse cupit.
Ne, Roma, euicto tibi Vir laudetur ab igne:
Quæq; Dei Virgo Mutius esse potest.

Ad Ceruum S. Aegidij.

40

Non Leo, non Taurus, non Sirius ardeat astris,
Tu Cælum, Aegidio Numine, Cerue meres.

De S. Apollonia.

41

Virgineas tundit maxillas dextra Tyranni,
Messisq; in terras ossea multa cadit.
Carnifices hærent; nam sic Cadmeia terris
Visa fuit quondam bella mouere seges.
Nec messem è terris irridas perfide nasci;
Dentibus his segetem surgere ad astra decet.

Vir-

Virgo, ne placeat, sibi vultum ferit.

42

Irata est Virgo, cum sentiat ora placere;
Formamq; in genulis ipsa perire iubet.
Ambrosium cultro properat sibi findere vultum,
Et teneras ferro gaudet arare genas.
Vulnere honorato species non squallet honesta;
Pulchrior è pulchro vulnere forma venit.

Magdalena plorans velum suo ori admouet.

43

Verè mœsta dolens tegis os, ò Magdala, velo:
Velatus melius noscitur ipse dolor.

Ad D. Antonium.

44

Monstris, Antoni, Pharia vexaris Eremo:
Semper monstra Pharos prodigiosa creat.

De Christo spinis coronato.

45

Bellua prædatrix, longè hinc secede; proculq;
Hinc abeas vnca fur violente manu.
Spinas Christus habet, felix vindemia cresce:
His septus homini est, vinea culta Deus.

Angeli pacis amarè flebant.

46

Est lachrymarũ expers; sed cũ scelus oderit Aether
Angelus ad culpas illachrymare potest.

Ad S. Sebastianum.

47

Inclyte iam Martis, nunc Mortis strenue miles,
Cui furor vt rapuit, sic dedit arma Fides.

Mor-

Mortis temne ictum tot circum adoperte sagittis;
Quo Mors te feriat, non habet illa locum.
Quin fera tela iuuant; ausis melioribus alas,
Vt super astra voles, ipsa sagitta dabit.
O nouus Orbis Amor, quis te non credat Amorem,
Pectora si nudas, si quoq; tela geris?
Cæli fama potens, quis te Famam esse negarit?
Qui spectat plagas, lumina mille videt.
Ah terras ne linque celer; cur appetis astra?
Vulnera sunt laceri corporis astra tibi.
Sorte tua gaude. Plaga dant sidera membris;
Nec Cælum ingressus, Cælum habitare potes.

Ad Iesum,
dum vtero Virginis contineretur.
48

Te premere hoc vellem gremio dulcissime Iesu.
Fascia sit membris hæc tibi bina manus.
Nosco impura; sinu se se Infans Virginis abdit,
Integra dant melius vincula casta Pares.

Ad
S. Io: Stylitam.
49

Stas immote breui dum tu, Stylita, columna,
Est verè punctus maxima Terra tibi,

Christifidelium
fortitudo.
50

Non timet ingeniis diris maiora flagella,
Qui Christi miles sponte pericla subit.
Inconcussus amans latè sua fata capessit,
Despicit intrepida relligione minas.
Cumq; Amor obfirmet mentem, firmatur amore;
Et pœnis maior spicula Mortis amat.

De

De corde S. Caroli ad Vrbem Romam.

51

Fons vitæ cor est, mortem iam despice Roma;
Aeternùm Caroli viuere corde potes.

De S. Elisabetha Regum consanguinea.

52

Elisabeth gaude; Regum generosa propago,
Hesperias inter gloria prima nurus.
Te Matris sceptrum, te magni Coniugis aula,
Et te iuncta Patris purpura clara beat.
Non aliæ terris maiora exempla relinquunt:
Quæ iactent aliæ, sola merere potes.

De Archangelo Gabriele
Virginem annunciante.

53

Dum latè rorat cælestis gratia terras,
Et pluuio mundum fertilis imbre beat.
Nil mirum, humanos Gabriel si vestiat artus;
Humanum terris nunciat ipse Deum.

De eodem.

54

Aeterni Solis Gabriel denunciat ortum.
Dum latè errorum nymbus obumbrat humum.
Pax ergo terris cum sit latura serenum,
Si Sol est Christus, Angelus Iris erit.

Ad Tyrannum de rota effracta D. Catherinæ.

55

In Costæ natam raperis, vesane Tyranne,
Virgineam vt Diuam sors truculenta rotet.
Dextram agitas, axemq; moues, orbemq; retractas,
Vtq; illam crucies, excruciaris atrox.

At nexu effracto sæuus disrumpitur orbis,
Et Diua ad tactum machina tota ruit.
Sic & vis Cæli, sacro sic robore Virtus,
Et summæ Aligerum sic potuere manus.
Non ergo intactum iactet Fortuna rotatum;
Si tu Fortunæ frangis, Olympe, rotam.

In diem
Christi natalem.
56

E' medio dat Hyems Irarum fulgura nymbo:
Sed tu Hyeme è media fulmen Amoris habes.

Ad hominem sceleſtum,
vt defleat.
57

Felix vt Cælo surgas, tua crimina defle:
Ploranti nymbo læta superbit humus.

De Verbi deſcenſu
in Virginis vterum.
58

Ne stupeas Virgo, arcano si nobile partu
In te deserto Numen ab axe fluit.
Sic & ab ignoto reuolubilis incola Cælo
Rex Pharia, occulto gurgite, Nile venis.

Ad Magdalenam lachrymantem.
59

Magdala, quid ploras? Amor est, quem sedula quæris:
Ah plora, lachrymæ sunt in amore duces.

De eadem.
60

Culparum emergit pelago dum Magdala amaro,
Phœbi Aurora sacri rorat ab ore sinum.

De

De Christo flagellis cæso.

61

Horrida sanguineo tempestas ingruit ictu,
Iraq; in Christum liberiore furit.
Haret at immotus, nisi quantum verbera quassant,
Et solum, vt ploret crimina nostra, gemit.
Flagris mēbra magis, quā membris verbera desunt,
Atq; vno totum vulnere corpus hiat.

S. Io: Euangelista supra pectus Domini recumbens.

62

In Christi gremium lassus dum lumina condo,
Atq; soporifero membra liquore labant.
Sideribus fulgens reseratur ianua Olympi,
Quaq; latent alijs, hac mihi clara patent.
Et latus mererer placidi sub imagine somni,
Sed cor diuino nescit obire sinu.

Ad S. Ignatium de eius facie irradiata.

63

Aurifer, Ignati, radius tibi vertice lucet:
Auratos radios lucidus ignis habet.

Iudæ.

64

Mente carens, audes æternam prodere Mentem,
Bisseni Cœtus prodigiosa lues.
Nec tibi Amor rapuit dirum in contraria sensum;
Vt perdas Mentem, mens tibi nulla fuit.

Christo in Cruce pendenti.

65

Quinum vulnus habes, at sunt mihi crimina mille;
Est mea culpa lues, sed tua plaga salus.

Ad Susannam.

66

Impura argueris Veneris, dum fonte lauaris:
Culpis, plusquam vndis, pura Susanna nites.

Ad Iesum
de stella Orientali Magorum.

67

Cresce Puer terris, micuerunt sidera Cælo;
Gemmea, in imperij signa, dat astra Polus.
Regno assuesce Infans; auro radiantia puro
Submittunt famulas Agmina celsa faces.

De nocte lucida Natalis Domini.

68

Noui, cur, vmbras inter, fax ætheris arsit:
Est mihi nox Adam; lux mihi Christus erit.

De Leonibus, qui
S. Agapito pepercerunt.

69

Rex acer nemorum, & Libycæ populator arenæ
In se se irarum robora temnit amans.
Et qui fulmineos ferit implacabilis hostes,
Ante ora Agapiti mitior esse potest.
Immo si terris iam victa elanguit ira;
Nunc illi in Cælis excubat ante pedes.

Ad spectatorem
de carnificibus D. Sebastiani.

70

Syluoso trunco quid spectas saucia membra,
Dum dirè Heroëm pinea sylua tegit.
Hic furias inter meritò fera monstra rigescunt,
Nam decet immites horrida sylua feras.

De Deo
in miniata tabella picto.

71

Qua Deus est pictus, minio nitet illita charta,
Et lucem vario clara colore trahit.
In patris aspectum se se animat generosa papyrus,
Et summo Cælum se putat esse Deo.
Quid referam vlterius? plaudit, gestitq; Tonanti;
Et gaudet visu charta beata suo.

Ad S. Agnetem,

72

Agnes carnificem contemnis, sæcula verè
Aurea sunt Mundo: non timet Agna Lupum.

Christo crucifixo.

73

Dum te, te intueor tristi Rex arbore pendens,
Arboris heu vellem posse subire vices.
At non vt cruciem, tibi Crux cupio esse; sed opto,
Vt tecum clauis vulnerer, esse Crucem.

De eodem pendente inter Latrones.

74

Vera probat, qui clara videt: Deus arbore pendet;
Et medius fixos spectat vtrinq; reos.
Stat Pharius Dismas dextra, tu Grisma sinistra;
Sic mors est illi dextra, sinistra tibi.

De S. Agnete.

75

Ambrosias rubicunda genas stat nubilis Agnes,
Et nulla in toto corpore menda riget.
Sed nil blandè illi suadet Cytheraia Mater,
Cum sibi displiceat casta placere viris.

Si cor, si vultus spectari in Virgine possunt;
Lis ingens formæ, summa pudoris erit.

De S. Elisabetha
Lusitana.

76

Elisabeth, gaude numeroso splendida fastu,
Plurima cui titulos tradidit aula suos.
Altera Sarmatico cingat diademate crines,
Altera Cappadocum sceptra timenda gerat.
Te stirps Pannonia, te gens Aragonia clarat;
Et te Lysiadum nobilis aula beat.
Nec miror, si iuncta tibi tot regna mereris;
Regia tot meritis non satis una fuit.

Ad Coruum Pauli Eremitæ.

77

Te Romæ Aetiopes tumulant; at Corue nigranti
Aegypto Paulum, ne tumuletur, alis.

Aliud.

78

Telo, Aquila, ignito fulgens iam labere Cœlo:
A Coruo gaudet lumen habere Polus.

S. Elisabethæ Reginæ.

79

Per te iam celebri lætetur Iberia bombo,
Et faustus pluuio fulgurет igne Polus.
En proprium iactat iam Lusitania nomen;
Cum verè plausu ludat amica tuo.

Ad eandem.

80

Elisabeth, gaude summis inserta maniplis,
Regina; ætherea gloria clara domus.

He-

Hesperia occiduo te tollit in æthera regno;
Sed non occidua laude decora nites.

De eadem.

81

Vt Sol Elisabeth, dum vita surgit in auras,
Omnia luminibus complet amica suis.
Vt Sol Elisabeth, dum mortis tendit in oras,
Funere cuncta suo contumulata tegit.
Ergo & in Elisabeth ne iam maiora requiras;
Singula cum videas, omnia Solis habet.

Ad Christum nascentem.

78

Aethere progenitum generat te subdita Tellus.
Cælorumq; opifex nasceris orbis opus.
Magna hæc, at magnis tamen hæc maiora supersunt;
Vt sine Matre Deus, sic sine Patre Puer.

Ad D. Petrum
Cælum petentem.

82

Parens, Quirini mœnia qui regis,
O' Petre, vili tollere nobilis
De sede pressos, vel procella
Vertere præcipiti superbos.
Te, Diue, tactis sidereas feram
Neruis ad auras, te medio canam
Cælo nitentem, quem coronat
Chrysolito redimita Laurus.
Dum picta Cæli limina fulgidi
Verbo recludis, gaudiaq; explicas,
Dum laxa cogis claustra Ditis
Tænario metuendus Orco.
Oblita per te Pyramidum Pharos
Sepulchra tollet. Nilus amans fluet.

Et fonte ab ignoto recludet
Lympha suum famulata rorem.
Te te imperantem sentiet Aetiops,
Et dira subdens colla Boristenes
Altè intumescet. Diue sed quò
Te subito rapit hora casu?
Diris rigescens sæuiter anguibus
Atrox Enyo spicula fulminat.
Cæcisq; bellorum rotatur
Turbinibus periturus Orbis.
Clementer adsis; suggere mentibus
Feliciorum gaudia Ciuium,
Cœ:uq; firma fluctuante
Solliciti sacra iura Mundi.
Dum feruet horror sanguine noxius,
Dum mente vecors iustitiam fugat,
Dum cæde pingues arua fratres
Ausonio maculant cruore.
Stet longè in annos incolumis Fides,
Maiisq; in atri funera Bosphori
Vires inoffensas resumat
Bistonidum domitura turmas.
Frustrà laborant inuida sæcula:
Aeterna Patris nomina non cadunt;
Et nata Cælo, par Olympo,
Religio sua regna ditat.

Ad amicum
de Deo.
83

E' plantæ spatijs ingentes Herculis artus
Olim Pythagoram comperijsse ferunt.
Alter proceram dimenso è pollice molem
In te te nouit, prodigiose Cyclops.
Et scrutans alter, quanta Leo mole superbit,
Vastum indagauit corpus ab vngue feræ.

Sic quædam excelso sua sunt vestigia Cælo,
Vt terris valeas noscere posse Deum.

De Diua Magdalena.

84

Ros Domino est gratus, quem Magdala pyxide fundit;
At qui oculis manat, gratior ille fluit.

De Christi verbo. Sitio.

85

Arbore Christe sitis: siccæ stant vndiq; rupes;
At Mariæ ad lachrymas tu mare dulce sitis.

A Deo misericordiam implorat.

86

Pœnarum ah pigeat, si quid misereris: & ira
Ne, Pater, in nostrum sæuiat vsq; caput.
At quæ iacto? scelus feruet, mens ægra fatiscit;
Cum iuuet, adde minas; est medicina dolor.

De petris sciſſis in funere Christi.

87

Ne fractum Christi ad funus mirabere marmor;
Corda vt scissa gemant, marmora scissa docent.

In Christi morientis Eclypsim.

88

Ad Mariæ fletum, Christiq; ad funera, Phœbe,
Terrena atrato syrmate regna tegis.
Vera vmbris nosco, cæca haud velaris eclypsi;
In Mariæ lachrymis Sol tumulatus obis.

De Martyrum tormentis.

89

Carceris hirta situ Christi stant Agmina, costas
Vngula pandit atrox, tergore lora tonant.

Franguntur virgæ, feruor Vulcanius alget,
Et nix attonito frigore amica calet.
Pœna animo est minor; & lassis tortoribus ira
Iudicis, eluso funere, vana ferit.

De
Sancto Octauio
Legionis Thebææ milite.
90

Ferueat imo
Corde Tyranni
Ardor in enses
Semper iturus;
Turbidus altè
Sanguinis æstus
Suscitet iras;
Sæua furori
Pullulet acris
Copia noxæ:
Aere noueno
Fortis in arma,
Noxia temnit
Fulgura Virtus.
Stat Rosa dumis
Inter acuta
Spicula viuax,
Nobilis horti
Picta venustas,
Filia Solis,
Gloria Veris.
Fortior ira,
Fulmine maior
Robora Martis
Vincit inermis,
Axe triumphat
Miles Olympi.

Ad

Ad Sanctum Famianum.

91

Dum curis gaudes, & cultu paupere celsum
Per vitæ ærumnas discis adire Polum.
Hoc meritò, Famiane. tibi dant sidera nomen,
Nam de te verè Fama loquetur anus.

Ad Diuos Angelos.

92

Cælicolæ proceres, orbis stellantis alumni ;
Puræ axis soboles, æthere nata cohors.
Pennigeri, vitæ volucres, vos astra rotatis,
Atq; ipse est vobis nobilis esca Deus.

De Sanctissima Trinitate.

93

Est Deus vna trias; Natoq; & Flamine sacro
Nec Pater est æuo, nec Deitate prior.

Tyrannus aurum Christiano pollicetur.

94

Aurum qui laudas, Stygijs caue ab ignibus; aurum
Vt sit lux terris, est opus igne coqui.

Parabola Agricolæ.

95

Tu pluuia, si culta seris, spem rustice tradis:
Sicca tuum in votum, si metis, astra cupis.
Semina dum celas, segetes dum germina tollunt,
Sulcum fletus alit, gaudia messis habet.

Sine Deo homines naufragi.

96

Errorum pelago, qui Cælum linquit, oberrans,
Culparum cæcis fluctibus æquor arat.

Et fragilem in scopulos impingit criminis alnum;
Ni castus, melior Castore, lucet Amor.

De
Ioanne in vtero exultante.
97

Cum fratre, in matris gremio, luctatur Iacob;
Prolisq; arcana prælia Thamar habet.
Sic etiam exultat materno in ventre Ioannes;
Et plusquam terris, gaudet adesse Deo.

Petite,
& accipietis.
98

Exigit ipsa fides, pietas quæ poscit ab astris;
Et quæ sperat iners, dona reportat amans.
Plus quæsita sapit, quam res accepta; voluptas
Vt concessa minus, sic magè parta iuuat.

Gallus cecinit.
99

Lucis canorus tubicen ad noxam Petri
Dat ore voces; nuncius noctis canit.

Romæ
Idola respuenti.
100

Vmbras quæ nemorum colens, vana ritibus olim
Roma sacrilegis Ioui thura Eoa dedisti,
Desides animos putri gaude attollere cœno;
Fœdis imperij iugum Dijs impone: triumphes
Barbaro sacra prælio. In te Fides Polo amica
Felix funere fortiter vita prodiga pugnat:
Es damno tibi fertili, diris viuida pœnis;
Et per vulnera atrociter diffluentia tabo
Morte destruis irrita victrix robora Mortis.

De

De
Spiritus Sancti igne.
101

Quà se Gethsemanus latè protendit in hortum,
Vt daret vmbrarum signa, cruore pluuit.
At quà bisseno clauduntur limina Cœtu,
Vt lucem reuehet, Sol Deus igne micat.

Mortalium noxæ.
102

Hic Matris Paphiæ sollicitis carpitur æstibus,
Liuenti Inuidiæ alter grauè torquetur anhelitu;
Hic gazis inhians gemmifera euiscerat æquora,
Feruens ille siti purpureæ gloriæ inæstuat;
Belli insania hic ardet, mero at alter litat Euhyo;
Claris ætherei Numinis orbata nitoribus
Atro sub scelerum tegmine mens impia perditur.

Ad Christum. Sol obscuratus est.
103

Christus obis: vitam qui terris lumine tradit,
Ne morti intersit, Phœbus ab axe fugit.

De SS. Ioachimo, & Anna.
104

Nulla seni spes est; sed dum tumet Anna, resumit
Se se credulitas, inseriturq; fides.
At vestram in sobolem cum sit vis nulla Parentum,
Totum opus in vobis noscitur esse Dei.

De Centurione.
Iesus miratus est.
105

Marticolæ non verba Ducis miratur Iesus:
At Iudæ natos credere nolle, stupet.

Et

Et petræ scissæ sunt.

106

Scribæ dant morti Christum: petra flebile crimen,
Cum non voce queat, damnat hiulca sono.

Christus è Monte Oliueto Cælum ascendit.

107

Vincto post humeros Stygis Tyranno,
Et Morte imperio iugi subacta,
Alpina stolio niuis renidens,
Et Phœbi radijs caput coronans,
Terris euehitur salutis Author,
Quà Mons est placidis ferax oliuis:
Pacem Rex hominum relinquit Orbi.

De extremo iudicij die.

108

Cuncta rogus capiet, fient cinis omnia regna:
Felix, cui Phœnix tunc erit ille cinis.

De Virgine Annuntiata.

109

Redditur Empyreo Tellus, tædaq; marita
Connubialè nitens geminat cum sidere fœdus.
Iam picta inuigilant oculis stellantibus herbæ,
Oscula iam violis riguo dat lympha labello,
Chloride luxuriant agri, vernoq; hymenæo
Nubunt luteolis argentea lilia calthis:
Arcano dum sponte fluens mirabile fœtu
Inculpata subit Matris præcordia Verbum.
Tu, Musa æthereo quæ sacri Heliconis in antro
Bisseno radiorum ambis capita alta rotatu,
Tange chelym, & digito plectrum decursa loquaci
Artifici mecum non deficientia textu
Verborum, ò Virgo, numerosa volumina torque,

Sola

Sola immortales stellato in pectine fibras
Docta animare manu, & concentibus astra ferire;
Digna Deo Genitrix; supero cui gratia rore
Purior affulsit: non te Sol maius ad Indos
Emoriens coluit, nec te Sol maius ab Indis
Lustrauit remeans, superum illibata propago,
Intemerata Parens, felix cortina salutis,
Mundi ornamentum, & sacli melioris origo.
Virgine digna cano; pura cum veste Sacerdos
Da, tua virgineis pandam sacraria vittis,
Cælorumq; adytis vita monimenta recludam;
Sacra redordimur, sint ora fauentia sacris.
Rerum annosa Parens, sulco cui tempus anili
Ora rigat, capitiq; argenteus albicat horror,
Verticis incani radios diffusa niuales,
Quà Libanus tetram populata in viscera cautem
Asperat, & scabro rupem testudinat arcu;
Ore indignantes ructabat in æthera flammas;
Anxia quod nocuo fœdauerit aëra cœtu
Ipsa Dei malè nixa hostes; nam germina terris
Quot læta dedit, tot languens funere mersit,
Prole tumens scelerum; & stipat laxata rapinis
Tartara congestis, olim iam debita Cælo,
Mox Acheronteis Erebi damnata sepulchris,
Aeternum passura nefas; cui mente recursat
Errorum series, dum prima ab origine mundi
Caligans Erebi Rector tellure creatum
Fœdat criminibus Patrem; dum cæde cruentat
Fraternos artus, & Morti claustra relaxat.
Prodigiū hinc terra, & monstrum exitiale Gygātes
Audaci affectant trepidantia sidera motu.
Inde superfusis, effracto carcere, terris
Funesti tumulant prærupta cacumina fluctus,
Et vindex adimit vitam cum corpore Nereus.
Quin animo repetit, quà dirùm culmine anhelans
Stellifero inseruit Babel fastigia tecto;

Quà

Quà caligantem Phario sub Principe Solem
Captiua Isacidum suspirauere phalanges,
Et passa Aeneadum domita ceruice catenas,
Artemq; & Martem Romano in milite clamant;
Docta ancillari, faciles succumbere pugnis,
Terrarum extorres, patrio gens exul ab axe,
Carior vna Polo, nunc densior vna sub Orco.
Has secum tacito repetenti pectore curas,
Firmior insidit tumido sententia nisu,
Aurarum vectari alis, & nube curuli
Altior incumbens, precibus motura Tonantem
Ingredi Olympiacis flammantia tecta pyropis.
Sed leges vetuere Dei; librata pependit,
Fœderibus quà bella cient elementa solutis
Dissensu ruitura suo, quotq; orbe resoluunt,
Tot rerum species Phœbo populante resumunt;
Suspiransq; procul vetiti confinia regni,
Hac ait; audito posuerunt murmure Cauri,
Crispatoq; sinu Nereia languit ira,
Et querna attonitis hæsere cacumina ramis.
Iam Phlegethontæa toruus caliginis hæres
Tænarea haud patiens intra confinia inertes
Sollicitare manus, & deside hebescere dextra,
Sæuit atrox animi, & rictus cũ sanguine turpans
In mea damna ruit, iam funerat omnia luctu;
Et quantum terra incubuit, nunc celsior Orco
Partitur cum Sole vias, palmamq; reposcens
Spirat ab interitu, legum execrabile bustum.
Errorum fœcunda lues; cui robora fulmen,
Non animum fregit; bello qui perdidit astra,
Vinceret vt terras astu, maiorq; per ictum
In geminos Erebi regnum portenderet axes.
Tu, qui dissimili socias pugnantia textu,
Vena boni, lucisq; opifex, vitaq; repertor,
Pectore si remeat pietas, si mente recursat
Dulcis honor Patris, sensu præcordia tactus

Da

Da veniam Natæ; ſat funeſtauimus orbem
Et ſcelere, & pœnaꝰ aſtrigero iuuet eſſe theatro,
Non Erebo genitam: errorum quid faſce laborat
Vnius ob noxam, & primi libamina Patris
Obruta Poſteritas? cur Cæli obliuia nocte
Potat inexhauſta, coniuratiſq; maniplis
In mea ferales animantur viſcera Fratres?
Vnum pro multis popularis noxa coërcet,
Tu multos vno vindex in crimine plectis,
Idem oſor, mundiq; parens: iam flamina vitæ
Te puduit ſpiraſſe orbi, nunc ſemina mortis
Te pigeat geminaſſe homini, dignumq; Tonante
Sit modo ſupplicium, Natæ ignouiſſe. Precanti
Applauſit radians iterato murmure Pubes.
Sic Zephyri ludunt alis, nutuq; loquaci,
Dum fœcunda nouis arrident ſæcula terris,
Obſtrepit in numerum clementi ſibilus auræ.
Annuit interea bipatentis Rector Olympi,
Iuſſitq; accelerans diuini tempora partus,
Vt latè Cælum radiantes panderet arces,
Et puram aſtrorum ſedem Natura ſubiret.
Tunc Genitor vultu excipiens ſuſpiria Natæ,
Gaudiaq; intentans, deflexit in oſcula pronus
Stellarum crinale iubar, celeriq; ſagitta
Ocyor, intuitu vaſtum ſpeculatus Olympum,
Mentibus æthereis animi penetralia nudat.
Agmina Cælituum, pictarataq; phalanges
Obiectu ſenſere Dei, quo fonte luenda
Terrarum labes, quò niſu ſæua malorum
Extinguenda lues, æterniq; ore bibaci
Concilij arcanos epotauere receſſus.
Iuſſa citat Gabriel, ſtellantis nuncius aulæ,
Cælorum interpres, diuini pectoris index;
Fuſilis aurato cui tempora verberat ictu
Cæſaries, vndante iuba cui mollis odoro
Vertice ſpirat Arabs, radijſq; comantibus albi

Fla-

Flauescunt humeri, digito cui flammat Iaspis,
Et triplici colla alba nitent torquata monili;
Et qualis tacito conuexa sub ardua gressu
Cynthia noctis iter stellanti syrmate verrit,
Talis multiplici glomeratam sidere pallam
Cingit ouans, Caliq; vias pede tangit eburno.
Quà rapitur velox, sponte erupere nitenti
Astra sinu, radiisq; oculati ardentibus ignes
Aurea strauerunt venienti compita; findit
Virtutum serie, Laudumq; sequacibus vndis
Tergora stipatus, flammata volumina Mundi.
Ventorum hinc oras, celsis in nubibus albos
Alternans humeros, penna grauiore fatigat;
Mox Libanum inuectus, Syriasq; illapsus in oras,
Vt Maria penetrale subit, quo Virgo renidet
Neglectu pretiosa suo, Mundoq; ruenti
Efferuens implorat opem, prolisq; futura
Nuncia fax oculis radiat; tunc flore rubentes
Inuertit calathos, picturataq; rosarum
Exundant pluuia, vernantes agmine nymbos
Stillăt odoratò, & risu nitet aurea Chloris:
Limina vere madent. luculentŭ in carmine flumẽ
Cum Gabriel resonans, diuina vocis imago,
Summusq; astrorum interpres, hac carmine fatur.

Nata Deo, genitura Deum, Spes vnica salue,
Criminis vna insons, patrio haud peritura reatu,
Sed domitura nefas, placidi intemerata Tonantis
Et genita, & genitrix, matrum dignissima terris;
Allapsu tacito, roseoq; simillimus imbri,
Infans in teneram tibi calicus influit aluum,
Seruoq; imperio Rex ancillatur Olympi.
Iam per te referent nigrantia claustra Parentes,
Caliq; affectent ausis melioribus arces.
Et per te claro renouentur sacula lapsu;
Prole tua felix, vita melioris origo,
Cui satura fluxit ditescens gratia messe,

Par

Par tibi sola Parens, & proxima Virgo Tonanti.
Tu sine labe tumens, sordem abstersura Parentũ.
Tu sine sorde Parens, labem euersura Nepotum.
Hæc pandit Gabriel. Auditu exterrita Virgo
Et pauet, & pallet: Vario tamen incita sensu
Dum timet, & genulis pallens incanuit horror,
Dum rubet, & genulis viuax incanduit ostrum,
Stat vicibus speciosa suis, & dignior hæret.
Ancipiti pulchrè variantur lilia vultu,
Natiuis immixta rosis, glacieq; fideli
Diriguere faces; sic quà violentus anhelat
Aetnæus Cælo vertex, nix purpurat igne.
Frigore fax albet, deflagrantesq; pruinæ
Nectunt ignitis candentia fœdera nymbis.
Obstupet, & deiecta tuens stat maxima Matrum:
Fida tamen paret monitis, & debita Olympo
Pignora iam prastat cordis, summiq; veretur
Ponderibus firmata suis decreta Tonantis.
Virginis interea meat in præcordia Verbum,
Vera Poli spatijs æterni Patris imago;
Nunc terris æterna salus: tumet abdita sensim
Virginitas, patuere adytus, innuptaq; Mater
Dulcè immortali detraxit viscera Sole.
Sic Hemi sitibunda vado, aut Gangetide ripa
Primo Sole micans roranti concha sub axe
Exceptura diem, arcano stupet innuba partu.
Virgo suo pallore rubet, potuitq; vel vno
Hoc vultu meruisse Deum. Sic fluxit ab alto
Ingens axe Puer, gremioq; & plurimus ore
Virginis effulsit: tædas imitata iugales
Aduentu nituere Dei Selmonia saxa,
Emmaus, & Sebo, illuxere Phaselidis arces,
Thãnitbieaq; domus, & Tamna aduersa Sebaste,
Drusiadis vertex, Engaddæ iuncta Thamaro,
Antipatris, Liddaq; iugum, fœcunda Bedoro,
Raphia ditescens, claræ Archelaide turres,

An-

Antra Erici, Solymæq; arces, fastigia Gazæ,
Betogabri, Guphnæq; lares, & Iamnia tecta.
Sic Maria occulto complet sua viscera partu,
Includitq; Deum gremio; gauisa, ruentem
Si Mulier mundum pressit, munimine firmo
Fœmina nunc releuet, & terras inferat astris.
Illi Nazareis latè pubentia campis
Lilia odoratas obiectauere choreas,
Iordanisq; fluens opulento ditior haustu
Induit auratas gemmato margine ripas.
Tu Diuûm, Nazareth, pars acceptissima regno,
Terra deliciæ, libertatisq; creatrix,
Numinis aula potens, reducis cunabula vitæ,
Orbis apex, Superumq; decus, fastigia rerum,
Mundi incrementum; tu germine seligis vno
Quicquid vbiq; viget: det Gallia militis arma,
Punica castra Duces, Macedum tentoria Reges,
Laomedontæa dent Martia Pergama Romæ.
Qui latè imperirent æquo moderamine terris;
Sola paris, Nazareth, meliori Numina fœtu,
Germẽ amica fouens, quod nec sinus ambit Olympi.
Iam miles, seriesq; Ducum, Regumq; potestas,
Et toto Augusti faciles ex Orbe leguntur;
Tu recipis, qui cuncta regit, qui legibus orbem
Temperat, & nutu stellantia claustra relaxat.
Qui per cuncta means arcana mobilis auræ
Omnibus infusus, sed non inclusus oberrat;
Qui vitam remeare iubens, lethale theatrum
Immortalis adit, primæui criminis vltor,
Nunc pars humani generis, cui militat Auster,
Horrendùmq; minans Getica de rupe Tyrannus
Fronte sub aduersa gaciali adsibilat Hæmo,
Ipse opifex, opus ipse sibi, genitusq; sub auras.
Qui sæcla æterno genuit redeuntia cursu.
Adstat iam Puero facili Clementia risu,
Gratia nuda sinum, nexu Concordia amico,

In-

Innuba Relligio, & veteri Reuerentia vultu.
At Natum admirans, blandèq; in gaudia surgens
Exceptura Deum Pietas, cui cycladis oras
Fusilis aurato Ganges emblemate ludit,
Aligerum comitata Ducem tunc ora resoluit.
Sole nouo nouus Annus init, cursuq; noueno
Aeternos renouant Cœli noua sidera motus;
Dicite iò, & manibus Puero date lilia plenis;
Infans complexu virtutum temperat orbem,
Et mundo repetita nouat primordia vitæ,
Omnia Veris eunt, orienti assurgite Veri.
Spes etiam viridi cui syrmate cauda superbit,
Facundam meditata chelym sic impulit auras.
Ferali sat cæde minax vndantia Tellus
Prata cruentauit, sat funeris hausit Olympus;
Iam melius spirent alis plaudentibus Auræ,
Et noua pacato reuirescant sæcula mundo:
Omnia Lucis eunt; rediuiuæ occurrite Luci.
Hãc comitata Salus, cui lana hyacinthina succo
Purpurat Oebalio, sic vocibus aëra complet,
Fulguret Ira procul, sat nexa rosaria dumis,
Horridaq; hamati tumuere in spicula vepres;
Chrysolito nunc illa rosas meliore coronent,
Et Pueri aduentu radient dumeta pyropis:
Omnia Pacis eunt, remeanti plaudite Paci.
Tũc Argũ intuitu, & superare facillima Lynceũ
Rerum oculata Fides, Nereo cui glauca refuso
Pallia texta nitent, tumido grauis intonat ore.
Claustra resurgenti laxans iam Delius anno
Luce serenat humum, caligantesq; recessus
Purior incumbens ioculari fulgurat igne:
Tu Sol, æterno qui pectora flumine roras,
Stellifero nunc axe fluens, assuesce vocari,
Virgineo nunc ventre means, applaude vocanti
Si Genitam flectes, iuuet indulgentia Patris,
Si Famulam lustres, Domini clementia prosit.

Omnia Veris eunt, orienti assurgite Veri:
Omnia Lucis eunt, rediuiuæ accurrite Luci:
Omnia Pacis eunt, remeanti plaudite Paci.
Tunc iterans Gabriel, Cæli qui g audia corde
Potat, & æternas auido bibit ore fauillas,
Saluè, ait, ò nocuas inter dignissima culpas,
Tu Patris intemerata Parens, tu Filia Nati.
Solari non veste nitens, sed ventre refusum
Authorem genitura tuum, fœcunda Virago.
Excipiens cum Sole diem; tu criminis expers,
Pura renascentis pariens exordia vitæ.
Salue iterum, & miti Tellus iam nubat Olympo,
Quæ Cæli extorres in sidera condis, & ipsi
Inconcussa locas rerum fundamina Mundo.
Vix hæc, cum medijs orbem complexa sub alis
Ad terras meditata ruit, Caurosq; sonantes
Pax findit; rutilo diuerberat aëra tractu,
Purpuream q; fouet remeandam in sæcula lucem,
Fœcundumq; ciet materno ex vbere rorem.
Interea supplex Regem venerata sub auras
Erigitur stellata phalanx, repetitq; recedens,
Quæ prima impressit vestigia diuite sulco.
Solùm clara Fides, & Spes ventura tenelli
Numinis expectat desertis gaudia terris,
Nataliq; sacro meditatur carmine laudes.
Tunc manibus plausum, picto tunc gaudia risu
Natura explicuit; capiti crinale reduxit
Argentum, puroq; genas intexuit auro;
Emersere oculis gemmanti sidera fœtu,
Labra renidentes epotauere pyropos,
Fœtaq; rorigenis tumuerunt colla corymbis;
Cum plausus Natura suos in verba resoluit.
Illibata potens meat in præcordia Numen:
Salue hominum, rerumq; Parens, æquæua Tonanti
Progenies, superi pars formosissima Mundi,
Cæli cura ingens, & castis Gratia zonis,

Sal-

Salue: en pacato Tellus iam nubit Olympo,
Concipit æthereas vernanti pectore flammas,
Et caligantes scelerum clara exuit vmbras,
Nata Deo, malè fida Patri, modò nupta Tonanti.
Pax terris oritur cæcis illata figuris,
Et veterum se se pandunt oracula Vatum;
Purior annus init, remeat fax aurea ab astris
Redditur & Superum laribus, tædaq. iugali
Iuncta Polo celebrat felix connubia Tellus:
Fatidico hæc, veniens, non mendax auguror ore,
Innupto hæc, venerans, non fallax ominor Orbi.

FINIS.



Corrige.

c. 43 *ſuperbis Infans.* *Puer ſuperbis.*

c. 43 *Et claro, qualis noctua, manè vides.*
Et clarè, qualis nox tēnebroſa, vides.

c. 64 *Arenti metue* *Arenti metuas.*

c. 225 *& vſibus ſtragulum breue,*
& ſtragulum attritu leue,

c. 241 *Roſcida Pubes,* *Roſcida Proles.*